LACRIMÆ
ORBIS UNIVERSI,

Post Primam Protoparentum nostrorum
E Paradiso Exulum culpam, exortæ,
In Universum Genus Humanum, traduce reatu propagatæ,
Ruptis animorum abyssis,
Laxatis cordium fontibus,
Apertis oculorum cataractis,

FILIORUM EVÆ,

Gementium & flentium in hac lacrimarum valle,
In peccati Diluvium & Mundi piamentum *Nazianzen: orat: 3,*
ab exundante Pœnitentium Dolore
ubertim profusæ,
Sacrâ lamentantium threnodiâ
continuatæ,
Salutari gemitu,
quæstuoso ploratu,
Beato luctu,
ad rhythmicam harmoniam,
hydraulico Doloris concentu
compositæ,

A P. MATHIA SCHMUKER, Soc: JESU

Anno M. DC. LXXXVIII.

GLACII, impressit ANDR. FRANC. PEGA,
Anno 1689.

Ezechiel: 2.

Et vidi: & ecce manus miſ-
ſa ad me, in qua erat involu-
tus liber: & expandit illum
coràm me, qui erat ſcriptus
intus, & foris, & ſcriptæ e-
rant in eo;

LAMENTATIONES
ET CARMEN, ET VÆ.



MATHIAS TANNER
è Soc: JESU
Provinciæ Boëmiæ Præpositus Provincialis.

Cùm opusculum, cui titulus est: LACRIMÆ ORBIS UNIVERSI à P. Mathia Schmuker nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: Potestate à Patre Nostro THYRSO GONZALEZ Præposito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur, in quorum fidem has literas manu meâ subscriptas, & Sigillo officii mei munitas dedi. Iglaviæ 26. Novembr. 1688.

(L.S.)

Mathias Tanner.



Convertimini et agite pœnitentiam ab omnib9 iniquitatib9 vestris. et non erit vobis in ruinã iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quib9 prævaricati estis, et facite vobis cor novũ et spiritũ novũ. Quare moriemini? quia nolo mortẽ morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite. Ezech: c. 18. v: 30. 31. 32.

C. Tanquart del. Melchior Haffner Sc.

PARS TERTIA.
LIBER SECUNDUS.
PROLUSIO ASCETICA,
Super
ORBIS UNIVERSI,
Seu
Pœnitentium Lacrimas.

Lacrimæ ſunt peccati Diluvium, & Mundi piamentum. *Nazianz. orat* 3.

Quia patiens eſt Dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam ejus fuſis lacrimis poſtulemus. Judith. 8.

HAbet Pœnitentia laudes multiplices, ſecundùm diverſas ipſius figuras & comparationes. (*a*) Comparatur autem primo ſpecialiter tribus. Eſt enim Pœnitentia ſicut aqua calida contra canes, ſicut clamor contra fures, ſicut arma contra hoſtes. Eſt itaque Pœnitentia ſicut aqua calida contra canes, & maximè quantùm ad contritionem. Sicut enim cum aqua calida eijcitur canis de coquina: Sic cum aqua lacrimarum ferventium, eijcitur diabolus, & peccatum de ani-

 ma

(*a* S. Bonavent: Diæta ſalut: Tit: 2. cap: 1. mihi fol: 280.

ma. (*b*) In cujus figura dicitur in Genesi, Anna invenit aquas calidas primò in deserto. Anna, qui interpretatur donatus, vel sanctificatus, signat pœnitentem; aquæ calidæ, id est lacrimæ monstrant pœnitentis contritionem: Solitudo verò in qua calidæ inveniuntur, designat vitam solitariam pœnitentis, seu mundificationem, vel meditationem. (*c*) De qua Ambrosius: lacrimæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri. Iste est Anna, qui invenit aquam calidam, cùm pasceret asinos patris sui sacerdotis. Comparatur autem pœnitens arbori, cujus radix est contritio, frondes confessio, & flores sancta devotio, fructus bona opera, humor gratiæ diffusio. Vel dicuntur pœnitentes radicati in Christo per humilitatem, extensi per charitatem, operti cortice per austeritatem, dantes umbram aliis per bona exempla, & consilia. (*d*) Unde dicitur in Apocalypsi: nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus. Hæ arbores sunt oliva, vitis, & ficus. Oliva, activi misericordes; ficus contemplativi claustrales: vitis sancti prædicatores. (*e*) Et in libro Judicum dicitur, quòd ficus noluit regnare super ligna silvarum, id est, super homines infructuosos. Est etiam pœnitentia sicut clamor contra fures, quantum ad confessionem. Nam sicut ad clamorem fugiunt fures; sic pœnitentis clamosa confessio vel oratio fugat dæmones. (*f*) Unde in figura hujus dicitur in libro primo Machabæorum, quòd timore Iudæ, qui interpretatur confessio, repulsi sunt inimi-

(*b* Gen: 36. (*c* S.' Ambros: lib: 10. in Luc: cap: 22. Tom. 3. Et serm: in fer: 3. hebd: sanct: qui est 48. de temp: tom: 5. (*d* Apoc: 7 (*e* Judic. 9: (*f* 1. Mach: 4.

inimici ejus. Est insuper Pœnitentia ficut arma contra hostes, maximè quantùm ad satisfactionem: nam satisfactio pœnitentis, ficut jejunium, & eleemosyna sunt quædam pœnitentis arma. Nam dicit Apostolus: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed supple, carnem macerantia. (g) De eleemosyna dicitur in Ecclesiastico: super scutum potentis, & super lanceam pugnabis adversus inimicum tuum. Item Pœnitentia est turbativa instar maris, accensiva instar ignis, & conclusiva instar sepis. Est itaque Pœnitentia sicut quædam maris turbatio. Nam sicut mare non emittit immunditias, nisi sit turbatum: sic anima mea non emittit peccatum, nisi in se habeat Pœnitentiæ & contritionis conturbationem & motum. (h) Unde de pœnitentia dicitur in Threnis: Magna est velut mare contritio tua. Est etiam Pœnitentia sicut quædam ignis accensio. Nam sicut ignis producit fumum de viridibus lignis, sic virtus Pœnitentiæ de peccatoribus educit fumum contritionis: & sicut ligna viridia reddunt aliquem humorem per virtutem ignis, sic peccatorum oculi eructant virtute pœnitentiæ humorem lacrimosæ compunctionis. (i) Nam dicitur in Psalmo: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Et sicut ligna viridia, quæ sunt bene accensa, fortiùs ardent, vel calefiunt: sic peccatores pœnitentes, qui sunt in igne pœnitentiæ vehementer accensi, (k) fortius diligunt, sicut patet in Luca, ubi dicit Salvator: cui multum dimittitur, multum diligit. Sed sunt multi qui non inveniunt ignem, sed aquam crassam,

(g 2. Cor: 10. Eccli: 29. (h Thren: 2: (i Psal: 118. (k Luc: 7.

crassam, (*l*) ut dicitur in secundo Machabæorum. Tales sunt qui cogitant vitam suam præteritam, non ad contritionem, sed ad delectationem. Est item Pœnitentia, sicut quædam sepis conclusio. Nam agricola cum ejusdem spinis, quas extrahit de vinea, claudit vineam contra porcos & bestias: sic pœnitens cogitando peccata sua, debet claudere & munire cor suum, contra tentationes bestiales & immundas. Hæc est sepes, de qua dicit sapiens: Vbi non est sepes, diripietur possessio. (*m*) Quia verè ubi non est sepes Pœnitentiæ, quæ animam claudit contra recidivum, facilè dirumpitur possessio virtutum. Atque hinc confessio debet esse flebilis & lacrimosa, sicut *P*etri & Magdalenæ, quia misericordia & lacrimæ ad invicem valde sunt amicæ, & ideò ubi est lacrima, ibi est statim amica sua misericordia. Hæc est enim aqua, quam Christus valde sitit; Et nullus fons tantùm eum delectat, quantùm puteus lacrimarum. In cujus figura quievit juxta puteum Samariæ, & petiit aquam Samaritanæ, scilicet lacrimarum, â muliere Samaritana, id est peccatrice anima, (*n*) ut habetur in Joanne. Lacrimarum autem, seu fletus emolumenta, & utilitates sex numerantur. (*o*) Unde nota, quòd lacrima spiritum contritum lavat, ipsum devotum levat, spiritum malignum necat, terram cordis irrigat, sitim sedat, orando efficaciter impetrat. *P*rimò ergo lacrima spiritum contritum lavat. (*p*) Vnde figuratur per mare æneum in tertio Regum. In quo ingressuri tabernaculum lavabant manus & pedes, id est opera & affectiones. Secundò

(*l* 2. Mach. 1 (*m* Eccli: 36. Idem S. Bonav: ibid. cap. 3. punct: 6. (*n* Joan. 4. (*o* Idem S. Bonav: ibid: Tit; vi 1. de Beatitud: cap. 3. (*p* 3. Reg: 7.

cundò levat animam devotam, ſcilicet per contemplationem: quod figuratur per diluvium, (q) ut habetur in Geneſi: Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime à terra, id eſt conſcientiam ad ſublimia contemplationis. Tertiò, ſpiritum malignum lacrimæ necant, (r) quod figuratur per mare rubrum, ut legitur in Exodo: Vbi ſubmerſus eſt Pharao, & exercitus ejus, id eſt diabolus & omnis malignus ſpiritus. (s) Nam dicitur in Pſalmo: contribulaſti capita Draconum in aquis, id eſt tentationes dæmonum in fletibus lacrimoſis. Quartò, lacrima terram cordis irrigat & fœcundat, quod figuratur per fontem Paradiſi, (t) ut habetur in Geneſi: Fons aſcendebat de terra, ſcilicet irriguum lacrimarum, irrigans univerſam ſuperficiem terræ, ad producendum fructus bonorum operum: (u) Nam dicitur in Pſalmo: Qui ſeminant in lacrimis, in exultatione metent. Quintò, lacrima ſitim & ardorem concupiſcentiæ ſedat. Sicut contra ſitim curritur ad fontem, & contra ignem curritur ad aquam: ſic contra concupiſcentiæ ignem & incendium, currendum eſt ad fontem lacrimarum. Vnde dicit Gregorius in moralibus, quòd flammam ſuggeſtionis extingvit citiùs aqua lacrimarum. Sextò, lacrima efficaciter orando impetrat. Et nota, quòd de hoc ſunt novem exempla præcipua in ſcriptura. (x) Primum Annæ: de qua dicitur in primo Regum, quòd cùm eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, quæ à Deo exaudita eſt. Secundum Ezechiæ,

 cui

(q Gen: 7. (r Exod: 14. (s Pſal: 73. (t Gen: 2. (u Pſal: 125. (x 1. Reg: 1.

(*y*) cui dictum est ab Isaia: vidi lacrimam tuam, & ecce sanavi te. (*z*) Tertium est Tobiæ. Quartum est Saræ, de his duobus dicitur in Tobia: quòd oravit Tobias cum lacrimis, & Sara similiter, & exauditæ sunt preces amborum. (*aa*) Quintum est Iudith quæ dixit: Indulgentiam ipsius fusis lacrimis postulemus, quod & fecit, & Deus eam exaudivit. (*bb*) Sextum David, de quo dicitur in Psalmo: Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo. Septimum est Mariæ Magdalenæ, quæ pedes Salvatoris lavit lacrimis, & misericordiam impetravit (*cc*) ut dicitur in Luca. Octava est Petri, (*dd*) de quo dicitur in Matthæo: quod post trinam negationem flevit amarè; & obtinuit remissionem, (*ee*) Nonum est Christi, de quo dicit Apostolus, qui cum clamore valido & lacrimis offerens exauditus est pro sua reverentia, scilicet Christus. Propter hanc efficaciam lacrimarum dicit Augustinus, quòd lacrimæ violentæ sunt in precibus. (*ff*) Et Glossa dicit: quòd oratio Deum lenit, & lacrima cogit.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Matt.* 4. *v.* 5.

PRovida mente, & profundo cogitatu cognosci debent duo rerum distincta negotia: (a) id est, quantum distat inter bonum & malum, nec aliundè hæc cogitatio, quàm à primordio repetenda est. Quid est aliud malum, quàm peccatum committere? quid est bonum, quàm agere pœnitentiam pro commisso? Hæc est

(*y* Isa: 38. (*z* Tob: 3. (*aa* Judith: 8. (*bb* Psal: 55. (*cc* Luc: 7. (*dd* Matt. 26. (*ee* Hebr. 4 (*ff* Gl: Tob. 4. (*a* S. Chrysostomus tom. 5, serm: de Pœnit: mihi folio 1188. &c.

est discretio utriusque negotii. Serpens in Paradiso peccatum suasit. Hevam pœnitentia reclusit, & indè boni malive origo. Quis Deo dignior quàm David? Et tamen deliquit. Qui cecidisset de culmine, si non fuisset compunctus. Quis sceleratior Manasse? Et hunc pœnitentia revocavit. Pœnituit Deum quòd Säulem Regem elegerit: quapropter? nisi quia idem pœnitentiam ignoravit? Quis sapientior Salomone? Sed nesciens pœnitentiam, perdidit gratiam. Et ob hoc dictum est: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Concipit peccator delicti dolorem, & si non pœnituerit, parit sibi mortem. Parvulus antequam prodeat ex utero, dolor est Matri: Postquam verò editus fuerit, venit ei gaudium, peccatum verò conceptum coluber est in præcordiis hominis, parit mortem, nisi fuerit pœnitudine expiatum: Peccati conceptio serpens est in præcordiis latens. Consummatum venenum spirat, & lethiferum generat morbum. Qui peccatum parit, in judicium cadit: & si neglexerit, in ipso manebit. Natum suum mulier libenter perlactat; natum verò peccatum facit exitium nutrienti. Peccati princeps factus est aspis. In Adam subintravit ejus dolus, & fecit eum intra ligna Paradisi latere confusum; vocavit illum Deus non matutina, sed vespertina voce, dicens: Adam ubi es? Et quid ille? Vocem tuam audivi, & timui: quia nudus sum, & abscondi me; Timui. Quare? Quia peccavi. Abscondi me. Quare? Quia nudus sum, & erubui: quia ergo expulsus est Pater per peccatum, revocantur filii per pœnitentiam. Nam quod peccatum clausit, pœnitentia reseravit; & de quo ira præcipita-

cipitavit, pietas revocavit. Qui non pœnitet modò, nullus manebit in umbra mortis: qui verò timet Deum, per Pœnitentiam illustratur. O Pœnitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & Paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras: vitam de interitu revocas, statum restauras; honorem renovas, fiduciam das; & reformas vires, gratiámque abundantiorem refundis. O Pœnitentia, quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta reseras, omnia adversa tu mitigas: omnia contrita tu sanas; omnia confusa tu lucidas: omnia desperata tu animas. O Pœnitentia rutilantior auro; splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. Perfecta Pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre: si violentus quærat quæ habet, non vetat; si vestem dirimat, non refragatur, percutienti maxillam, præbet alteram; jam angariatus ultro adjicit: castigatus gratias agit: provocatus tacet, exasperatus blanditur, superiori supplex est, inferiori subjacet: in corde ejus contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera pœnitudo. Sic pœnitenti præstò est Deus, esurienti nutritor, sitienti potator. Sapienti quod stultum putatur, sapit: quod triste est, placet; quod malè est, displicet: quod fluxum est, horret. O Pœnitentia misericordiæ mater, & Magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos resolvis, ac reficis

delin-

delinquentes, lapſos relevas, recreas deſperatos. Per te nobis Chriſtus regnum cælorum appropiatum deſignat dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum. Ita & Baptiſta clamat; Facite fructus dignos pœnitentiæ, quoniam ecce adeſt regnum Dei. Per te ſubitò rapuit latronem Chriſtus ad regnum: per teDavid poſt flagitium felix, iterùm recepit ſpiritum ſanctum; per te Manaſſes poſt cruenta facinora ecce meruit fieri acceptabilis: per te Petro Apoſtolo, poſtquam ter negavit, data eſt indulgentiæ dextera; per te filius prodigus regreſſus ad Patrem, non ſolùm amplexum, oſculúmque paternum, ſed etiam epulum vituli ſaginati, veſtémque inſignem promeruit adipiſci: per te mulier fornicaria uberes ſtillavit lacrimas, fontéque ſui baptismi protinus lavit pedes Chriſti, crinéque deterſit: per te Ninive civitas magna populúſque integer barbarorum ſubitò Deum ſapuit, virtutem tuam ſenſit, odorem tuum accepit, ſaporem tuum ſtrinxit, dulcedinem tuam guſtavit, cilicium contraxit, cinerem tuum comedit, jejunium tuum protraxit, lacrimas tuas profudit, gemitum tuum, ſuſpiriúmque perſenſit, fructúſque ubertatis tuæ abundanter exhibuit, & ſic per opera tua non ſolùm decretæ mortis diſcrimen evaſit, ſed etiam vitæ incognitæ coronam accepit, &c. Magnus profectus eſt lacrimarum, ut plorando ſervus propitiet Dominum, filius lacrimis mitiget patrem, & aſperam matrem plorans parvulus mulceat. Ita ergo & peccator profuſis fletibus removet iram Dei, reformatus in ipſo. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum. Deſidero,

ſidero, inquit, videre te, memor lacrimarum tuarum: & David dicit: Venite adoremus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos: & iterùm: fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: & ; potum meum cum fletu miſcebam, ſtratúmque meum per ſingulas noctes cum lacrimis rigabam; & iterùm: Deus vitam meam annunciavi tibi: poſuiſti lacrimas meas in conſpectu tuo: tanquam ſi diceret: ſuſcipe domine lacrimas meas, quoniam lacrimæ ſunt, quæ radunt rudera, & ſanant vulnera: lacrimæ ſunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam provocant, lacrimæ ſunt, quæ cælum pulſantes, crimina delent, & conſcientiam degravant. Sonant in ore pœnitentiæ verba, & movent in pectore pietatis veniam: Et impletur caput aquâ, tumeſcunt oculi, rigantur genæ, decurrunt rivuli, & Deus indulgentiæ mentem exhilarat. Lacrimæ ſunt, quæ reconciliant Deo, â peccatis redimunt animam, & ſanant languores ejus. Sordentem animæ veſtem lacrimæ lavant, & dant illis remiſſionis candorem. &c. Quid times pœnitentiam? Nihil tam durum, quod non deleat: nunc cùm gùſtaveris, tunc præſentis, quoniam ſuavis eſt, & odor ejus in naribus, & ſapor in faucibus, &c. (*b*) Obſecro, flagito, ſupplico, ut hic peccata noſtra deploremus & lugeamus: doleamus ob peccata noſtra, nec erit quod illic terreat. mordeant nos hic verba, & non lancinabit nos illic vermis venenoſus: Urat nos hic increpatio, & non uret nos illic Gehenna

(*b*) Idem ſerm. de pœnitent. & Confeſs: mihi fol. 1191. in Principio.

henna ignis. Consectaneum erit, ut qui hic lugent, illic consolationem accipiant: qui vero hic rident & delitiantur, & in peccatis jacent. necefsè omninò, ut illic videant lugentes & plorantes, & dentibus frendentes. Non meus hic sermo est, sed ejus qui judicaturus est nos. Beati, inquit, lugentes, quoniam ipsi consolationem accipient. Væ vobis qui ridetis, quoniam plorabitis. Quantò nunc melius temporalem conpunctionem & brevem luctum mutare bonis, & voluptatibus finem non habentibus, quàm post brevem & momentaneam vitam hic ridentes, abire illuc perpetuò puniendos.

CONatius Ornarius Ducalis sanguinis heros, & Princeps Ardachadeni filius, contemptis Mundi fallacis honoribus, opibus & gloria, sacram S. Francisci familiam ingressus, ob fidei Catholicæ veritatem & constantiam, quòd nollet sacrilegis Proregis intentionibus & votis (Angliæ Reginam esse caput Ecclesiæ) assentiri, & subscribere, in tetrum Carcerem, unà cum Majonensi Episcopo Ochelio Patricio in Hibernia, abreptus, gravissimis tormentis afflictùs, excarnificatus, & supremo supplicio affectus, nepotem suum Candidum Ornarium, ut Mundi vanitate, sanguinis claritudine, aulæ periculis, profanis litteris, inflantibus animum scientiis, &c. abdicatis, sanctioribus studiis, & asceticis in animæ salutem disciplinis, in Dei obsequio, se addicat, futuræque æternitati, piarum lacrima-

(* Florimundus Reimundus lib. 6. de ortu, progressu & ruina Hæres; cap. 20. sub finem.

lacrimarum incitamento, suo, & aliorum animatus exemplo, salutis viam tempori disponat, & amicè monet & paternè adhortatur.

APOSTROPHE AD EUNDEM.

Ex S. Paulino epist. 36. ad Jovium Tributarium.

OMnium Poëtarum floribus spiras, omnium Oratorum fluminibus exundas, Philosophiæ quoq; fontibus irrigaris, peregrinis etiam dives litteris, os Atticis favis imples. Quæso te ubi tunc tributa sunt, cùm Tullium & Demosthenem perlegis, vel jam usitatiorum de saturitate fastidiens lectionum, Xenophontem, Platonem, Catonem perlectos revolvis, multósque præterea, quorum nos fortè nomina, tu etiam volumina tenes? Ut istis occuperis, immunis & liber, ut Christum, hoc est, sapientiam Dei discas, Tributarius & occupatus es. Vacat tibi, ut Philosophus sis, non vacat ut Christianus sis. Verte potius sententiam, sis Dei Philosophus, esto Peripateticus Deo.

Ex S. Prospero in sententiis.

DIvitiis, & floribus, & Majorum Nobilitate te jactas: de Patria & pulcritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, te exaltas; respice te ipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis: Circumspice eos, qui ante te sideris fulsere splendoribus: ubi sunt, quos ambiebant civium potentatus? Ubi insuperabiles Oratores? Ubi qui convenientius festa disponebant; Ubi equorum splendidi

didi nutritores? Ubi exercituum Duces? Ubi Satrapæ & tyranni? Nonne omnia pulvis? Nonne omnia favillæ? Nonne in paucis versibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulcra, & vide, quis sit servus? quis Dominus? quis Dives? discerne, si potes, victum â Rege, fortem â debili, pulcrum â deformi. Memor itaq; esto tui, ne aliquando extollaris: memor autem eris, si te ipsum respexeris.

Ex D. Eucherio Episcopo Lugdunensi, qui Mundi Vanitatem deplorans, ab hac Valerianum cognatum suum avertere laborat: ipsismet oculis præsentissimè ingerit defluentium rerum vilitatem.

Agitur humanum genus, inquit, rapida in occasum mortalitate, omnísq; posteritas succedentium sæculorum lege decurrit. Patres nostri præterierunt; nos abibimus, posteri sequentur: velut ex alto undarum jactus, aliis atque aliis supervenientibus, in littoris extrema franguntur; ita ut in terminum mortis succiduæ alliduntur ætates. Quidquid est, illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita jam obsolevit, omnísque fucatus splendor intercidit. Vix jam hoc habet Mundus, ut fallat, periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Prius nos seducere vero cogitabat fulgore: non poterat: propè jam non valet & ipsâ nos falsâ ostentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc, aut ad tempus speciosa ornant, aut imposterum mansura confirmant, nisi nosmet ipsi decipimus, pœnè Mundus decipere non potest. Sed quid dissimulamus ea ex pre-

mere quæ fortiora sunt? Dissipatas loquimur opes Mundi, cùm jam ipse Mundus in finem suum vergens, spatiis agatur extremis. Quantò istud majus & gravius est, quòd jam ipse non in longum erit? Quid commemoramus attritam ejus rem & supellectilem? Nec immeritò in defectum viribus ævo non sumptis urgetur, adminiculísque suis destituitur, cùm jam in senium nutanti onere succumbat. Postrema Mundi ætas referta est malis, tanquam morbis senectus. Visa sunt, videntúrque jam dudum ista cano sæculo: fames, pestilentia, vastitas, bella, terrores. Hi sunt in ultimis jam annis langvores sui: hinc sæpè illa cernuntur signa, motúsque terrarum, permutatæ temporum vices, monstrosæ animantium fœcunditates: quæ omnia adhuc procedentis prodigia sunt Temporis, sed jam deficientis. Sapienter opinor, omnia & cum nervo, dignáque Eucherio, qui magnorum sui sæculi Pontificum longè Maximi nomen retulit.

O D A.

Quid doctos terimus Candide codices,
Fatis interea dura legentibus
In nos de rigido carmina pulpito?
Fuscamus cerebrum nube, Cleanthicis
Doctum luminibus: volvimus indices,
Et curas vigili dicimus Hespero
Facturi invidiam lumine Phosphoro.
Nostræ non memores, quàm niteat brevis
Fax vitæ impavidis, forsan in ultimas
Telluræ tenebras & tumuli Scrobem.
Sic horas studiis ducimus ebrias
Lassatósque dies: insatiabilis

Vitam

Vitam ſurda terit lima Scientiæ,
Virésque attenuat gloria Nominis
Longis ingenii parta caloribus.
Inſtillat cyathis toxica melleis,
Et virus ſapiens Palladis amphora,
Sacris amphora circumdata laureis,
Et Phœbi pateræ: dulcior influit
Magnarum rabies & furor artium.
Torqueri volupè eſt: dulcè jugum pati:
Ambimus ſtimulos, quos Sapientiæ
Infligit cupido dextera vertici.
Ætas pulſa fugit: prætereunt dies,
Succedunt refugis tempora ſolibus
Morborum vario armata ſatellite.
Ornari, ſatis eſt: quid juvat oſſibus
Succoſam ſtudiis pervigilantibus
Exturbare animam? robur & intimus
Nervorum vigor abſtergitur, & ſuum
Ætati pretium: viva cadavera,
Et mortes gerimus vultibus, & phthyſes,
Et putres ſpuimus tuſſibus hecticas.
Et quæ non parimus ſemina mortium?
Flagrant ictericis ignibus ilia,
Internísque ferox fulminibus furit
Atræ fæx choleræ: fluctuat, æſtuat
Tempeſtas animi: mens hypochondricis,
Ceu navis pelago jacta, tumultibus
Tres Orci queritur viſceribus Deas,
Aut pectus, Titii carpere vulturem.
Non ignota loquor: dum premimus libros,
A Fatis premimur: carmina ſcribimus,
Et ſalſa celebres arte Philippicas,
Et multo nova ſudore volumina:
Aſt in nos digito ſcribitur Æaci

Vitäi ultima sententia judicis.
Experto nimiùm crede: quid ambias
Famæ progeniem, nominis & decus
Immortale tuis Candide litteris?
Si quæ notitiæ materies tuæ
Magnorum steterit chara favoribus,
Livoris rabies, & mala mentium
Pestis, continuò nominis æmula
Longis invidiæ te scabet unguibus.
Serò cum Phrygibus quot sapiunt? suum
Qui vitæ dederunt manè scientiis,
Ætatísque diem Palladis artibus?
Tandem continuis acta laboribus,
Morborúmque gravi exesa teredine
In se vita ruit: canus inambulat
Annosúsque dies tempora: Ver fuit,
Et nusquam est: vetulam totus in arborem
Majus computruit: transiit in gelu
Ætatis melior flamma Decembrium,
Ignavásque nives: nulla caloribus
Sacri vena fluit verticis: entheus
Torpescit gelido spiritus in foco.
Parnassus viridem gestit Apollinem,
Et flavam capitis cæsariem, chorus
Ter ternus, gemini verticis, & gelu
Languorémque fugit carminis offlei,
Elumbésque modos: non facit ad lyram,
Alternósque pedes nænia flebilis.
Explodunt tremulam Castalides manum,
Et tussim vetuli carminis, excreat
Quæ vix non animam cum pedibus gravem.
Daphnem Bruma fugat pallida verticis,
Hanc & Virgo fugit Thessala Stitiam.
Daphne sueta rosis non nive cingier.

Non

Non incana tegit tempora laurea:
Nec blæsos sequitur gloria Rhetores.
Orator vario Tullius aruit
Felix eloquio; flumina Rhetorum
Jam frustrà Latiis docta liquoribus
Effætum afficiunt: non tonitru ruit,
Nec suadæ feriunt fulmina porticus.
Hæret pumiceis totus in ossibus
Fracta voce silex: cedo: quid exedras,
Et Demosthenecas sollicitem stolas?
Sudoris satis est: gloria vellicet
Inconstans alios: pulpita laureas,
Et famæ titulos, qui cupit ambitu
Quæret sollicito: me juvat unicè,
Quamvis Palladiæ dote scientiæ
Olim conspicuum, sanguine splendidum,
Fortunatum opibus, nobilibus procul
Abstractum invidiis, sub lare paupere,
Spretis divitiis, gloriâ, honoribus,
Mundo, delitiis, prosperitatibus,
Pompis, obsequiis, spebus, amoribus,
Clarâ stirpe Ducum, sanguine Principum,
Arcanis Superûm consiliis frui.
Stultus divitias Terrigenûm furor
(Auri sacra fames) in cumulos legit,
Et census numerat, nobilem atrocibus
Tormentis animum subjicit, & jugo
Plusquam Bistonio barbarus opprimit.
Curarum pelagus, tristitiæ fretum,
Et Scyllæ scopulos (sollicitudinum
Formidabilum saxa) domesticæ
Præceps ingreditur: qui Babyloniis
Fortunis inhiat, fit Tirius sibi
Pascens Tænarium pectore vulturem.

 Quan-

Quantumcúmque premat ciſta pecuniæ,
Auri dira fames non ſatiabitur,
Numorúmque ſitis : ſcrinia turgeant
Argento , ſed opum ſemper inania
Sunt deſideriis vota perennibus.
Torquentur miſeri ſemper, & improbis
Sudat ſubdita mens anxietatibus,
Infelix ſibi : qui ſtare beatior
Paupertate ſua poſſet, & omnibus,
Contentus modico, delitioſior
Regum lautitiis paupere ſub penu.
Contemptis opibus qui populo miſer,
Infelix, & inops creditur, aureis
Fortunatior eſt , ac opulentior
Theſauris Arabum , & divitiis Phrygum:
Hic ipſis ſuperis invidiam movet.
Frugalis vacuum quem ſapientia
Vulgi colla ſuper ſublevat altiùs.
Virtus ſplendida ſub paupere mantica
Lætos, triſtitiæ neſcia, agit dies.
Quando veſte gemit ſub Tyria Mydas.
Triſtem pauperiem vidi opulentibus
Fortunæ imperio bile frementibus
Imponi Æmiliis : paupere Regiam
Quadrâ, & Cæſaream furfureo gulam
Paſci farre : Codris, Callicrates pares,
Faſces Romulidûm, faſcibus arborum
Feſto Chaoniis igne crepàntium :
Vidi Tarquinios, quos Babylonia
Gemmatis coluit purpura fibulis,
Claros imperio, ſanguine, viribus,
Exutos trabeâ, torque, potentiâ,
Regni præſidiis & diademate,
Et ſceptro & ſolio, paupere penulâ,

Et centone tegi: fascibus inclytos
Et bellis celebres laurigeris Duces
In cæno Marios: & Dionysios,
Raptis Imperii clavibus, exules
In ludo graphium ferre Didascalos
Contentos pretio vilis edulii,
Et cingi tunica pauperis Ibici.
Præstat sponte sua quærere, quàm metu
Fortunæ impositam pauperiem pati,
Tortores loculos, carnifices opes
Virtutis studio spernere masculæ,
Et plantâ premere, his quàm dominis premi,
Et cordis furiis continuis agi.
Soli me mihi do: sufficio mihi:
Non desideriis jactor inanibus:
Cræsus divitias, Irus habet nihil,
Exoptátque nihil: pessima *Divites*
Curarum exagitat sarcina *Pauperes*.
Nullo pauper eget: num tunicâ aureus
Aut ferruginea cyclade laneus
Pannosíisque fiat, nil humili interest.
Non uror Tyriæ vestis amoribus:
Sat cultus veteris vellere sepiæ
Agnosco cineris pauperiem mei.
Sic nullo tumidus murice, neminem
Sub vili miserum terreo gausapa
A nullo pavidus: non vigil anxias
Insomnésque queror sollicitudines:
Non curis animum, nulla tumultibus
Pax interna quatit: nunc hilaris premo,
Quantis invidiæ nata faventium
Magnatum steterit fama doloribus.
Aula satis est: vincula, compedes.
Formosásque cruces: mille pericula,

 Et

Et Syrtes pelagi, & mille voragines,
Et naufragia, & funera prodiga
Mercatur fatuus caupo libidinum,
Aulam quisquis amat: fallit inanibus
Hæc pactis animum: pascit amoribus
Vanis implicitum, lactat honoribus.
Hunc aulæ favor ad sidera sublevat;
Illum ad Tartareos præcipitat specus,
Stringit compedibus, carcere, vinculis,
Infamique probro damnat, & ultimis
Condemnata metit colla securibus.
Hunc Sors immodicis laudibus evehit,
Illum invisa premit dente calumnia.
Hunc lambit labiis melle fluentibus,
Illum nectareo toxico inebriat,
Et fel vipereum inspirat ab osculis.
Hîc Fortuna suis utitur artibus,
Hîc versuta dolis ludit in Aulicos;
Hîc vafrum ingenium exercet, amabilis
Umbræ. semideos fallit imagine,
Apponitque oculis vitra triangula,
Augentésque tubos, ut videant *nihil*
Immane, & fatui se diademata,
Et sceptra, & trabeas Orbis, & omnia
Terrarum imperia, & divitias putant
Se visas manibus prendere, comicis
Delusi speculis: somnia inania,
Et mendacia conficta tenent; brevi
Lapsura in nebulas, & celeres Notos.
Hîc, est mancipium vivere splendidum,
Hîc, nunquam est placidum cernere Cynthium.
Innubesque dies: sunt nebulæ aulicæ,
Sunt umbræ scelerum: quò tegitur magis
Vindicta, invidia, ira, ambitio, dolus,

Tantò

Tantò eſt nobilior gloria criminis.
Exoptat tenebras aulica noctua.
Noctem nycticorax, ne niteat jubar
Sub caligine larvale ſuperbiæ,
Obſcuros adeunt lucifugi alites.
Bubonéſque, nigros quêis lateant ſpecus.
Mentes larva tegit: Verba bilinguia
Cælant nequitiæ nomina callidæ.
Hîc, monſtrum eſt, animum cernere candidum,
Et mentem niveo pectore lacteam.
Cunctis fucus ineſt, & ſpurius color.
Mitem fert placida fronte columbulam,
Agnellum alloquio ſimplice candidum,
Intus corde gerit ſaucius hiſtricem,
Rodentémque feram pectore viperam.
Spirat compoſito ex ore ſerenitas,
Tempeſtas animo fulminat & furit.
Hic aulæ furor eſt abditus, anxius,
Qui multos jugulat: vertitur ut rota
Mentis continuis aſperitatibus,
Et toto gerit Ixiona corpore,
Ad ſuprema ſuæ granula clepſydræ.
Non eſt ferrea conſtantia luſibus
Terrenis, nec homo, qui ſtabilis ſibi
Conſtet ſorte pari, nec ſapientiâ.
O quantùm vacuum eſt rebus in omnibus!
Quantùm ſtultitiæ, luxus, opes, honor!
Eheu! ludimur & ludimus! inſcii
Quæ nos fata manent ultima temporis!
Fauſti prætereunt pennigeris dies
Vitäi celeres rapti Aquilonibus,
Pejores ſubeunt nobilioribus
Pulſis in *nihilum*: vix orimur, mori
Mox nos fata jubent: fluminis in modum

 Velox

Velox tempus abit: diffugiunt dies,
Horámque hora fugat: labitur hebdomas,
Hæc mensem acta trahit: mensibus abditis
Annus cuncta suo terminat exitu.
Æternùm nihil est: in miserabiles
Festinant cineres omnia: concidunt
Congesta in tumulum augusta palatia,
Æquantúrque solo; sic nihil eminet
Quod non falce cadat temporis invidi.
Nil tam magnificum stare perennibus
Quòd possit basibus: sic nihil invium
Quòd non Fata suo præcipitent pede,
Quòd Fortuna suâ non quatiat rotâ.
Ne fide huic placidum cùm semel explicat
Frontis læta jubar: ridet & oscula
Offert prona tuis mellea basiis,
Expanditquè sinus: brachia, brachiis
Importuna tuis iniicit, allicit,
Affectúsque rogat signa reciproci,
Addit verba dolis, aurea, byssina,
Mellis tincta favo, nectare, Sesamo,
Omnique ambrosia Rhetorici tropi,
Mercatúrque fidem comis, amoribus.
Huic ne crede Deæ; Dalila, Dalila
Personata latet: palpat & implicat
Te captum propriis crinibus, & suis
Incautum laqueis: Virginis exuit
Et frontem & faciem: pellicis induit
Circe blanda genas: Tyndaris est fide,
Vultu Proteus instructus in omnia, &
Mutari facilis corpora fraudibus.
Quas Fortuna vices, quos variet modos
Expertus didici: gratia Principum
Radix invidiæ, perfidiæ comes,

Fomes

Fomes diſſidii, ſuſpicionibus,
Offenſis, odiis, ſeditionibus
Inſontem afficiunt: tela calumniæ
Improviſa petunt, & faciunt reum.
Infeſtos quoties Nominis æmulos
Et famæ inſidias ingenuæ aulicas
Preſſa voce tuli? fulgura & horridæ
Tempeſtatis aquas, fulmina, grandines
Excepi clypeo pectoris æneo.
Præſens canities roſcida lacrimis
Morbi, & debilium rudera virium
Aulæ præmia largiſſima ſplendidæ
Conſignata gravi muta ſilentio,
Inſignique animi ſunt patientiâ.
Afflicti tineas pectoris, & graves
Quot læſo dolui corde teredines?
Tanti pompa ſtetit vana Favonii,
Aulaique favor, mæſtitia ſeges.
Uno fonte fluit gratia Principum,
Et livor parium: qui minor, invidet:
Odit par: humilem deſpicit altior,
Virtutémque premit flagitioſior.
Uni ſufficiat vivere Principi,
Auctorique Deo: cui dedit affatim
Naturæ Dominus, provida corpori
Cui Natura ſatis: ſufficit: amplius
Quid fruſtra cupiam? non Lybiæ fera
In farto rabidus ventre furit Leo,
Non Maſſyla tigris cùm poſuit famem.
Virtus delitias odit, & ebria
Spumantis Bromii cymbia, nauſeat
Menſarum illecebras, emoritur gulæ
Inter luxuriem: quid Sibariticæ,
Quid menſæ Syriæ, quidve Vitellii

Abro-

Abronísve epulæ, luxus Apitii,
Impensæ Antonii, cæna Cleomenis,
Cambysísve dapes, sint, satiabilis
Ignorat modico: spernere regias,
Lente, & caule satur, docta cupedias.
Naturam, stomachum, & non trepidam *famem*
Convivas habet, & pane, fabâ, cibo
Pastos tam facili sobria recreat,
Ultra quid cupiat, si modico est satur?
Natura & *stomachus* non petit amplius.
Tota est summa, satis. Non peto Cæcubum
Campanúmve merum: Lesbia turgidis
Non infusa Scyphis vina, nec aureis
Decertatá gulo massica poculis.
Non pingui recreat polline spumeus
Excoctus lupulo zythus: ab obvio
Placo farre famem: me saturat nigro
Incrustata Ceres cortice (quam suis
Exceptura Deos hospitibus dedit
Baucis Numinibus Majugenæ & Jovi)
Non mandi vetulis saxea dentibus,
Non fractis stomachi dura caloribus,
Sed cuicúmque Seni cerea digeri.
Assueta exiguis pascere ferculis
Dimensóque famem: non gula nobiles
Ardet delitias: Sat mea panico
Sat vivit levibus lautia pultibus
Nulli dura coquo, lympha domestici
Fontis, grata suo frigore, sobriam
Sedat pota sitim; cui satis omnia
Ad gustum faciunt? Phasis Achæmenem
Insuetis satiet lauta volucribus:
Me robusta ceres, atque animi quies
Nullis invidiæ mota caloribus

Ad ve-

Ad votum ſaturat: non furor Imperi
Zelantis famulos ſub juga poplites,
Et, quæ neſcio Decreta Quiritium
Conſtantes animi præcipitant baſes.
Auſterus cilium concutiat Cato,
Immittat rigidum palpebra fulgetrum,
Linguæ Fabricius fulmina torqueat.
Aſſuetum Curii grandinibus caput
Evibrata Jovis ſpicula terrei
Immoto capiet vertice. *Mens ſibi*
Ipſa eſt præſidium criminis inſcia:
Scutum tuta gerit pectore, qua poteſt
Inconcuſſa metu dicere, ſum innocens.
Læſus juſtitiam non paro vindicem:
Non appello Deos, nec ſuperûm fora,
Nec conſulta novis pulpita jurgiis:
Nulla bile micat vena: perambulat
Puro ſanguineus fonte per artuum
Diffuſus latebras pectoris alveus.
Non rodit nocuo Palladium meæ
Famæ callidior dente calumnia.
Tempeſtas tonitru nulla nec imbribus
Improviſa ferit fulmine: nubila
Nec mentem nebulæ præcipites agunt,
Obnubſintque diem: quotquot eunt dies,
Puro ſole micant: pullulat otii
Exoptata ſeges: divite copia
Diſpenſat ſuperûm gratia gratias.
Quæ curæ vigiles, quis labor & pavor
Alto ſollicitos qui ſolio ſedent
Enervent, hilaris neſcio: quid regi
Sit, lætus didici: quid regere, haud peto,
Nec, ſi fortè velim, convenit, aut decet
Devotum Superis: *pauperies mei*

Regnum

Regnum majus habet, faustius omnibus
Terrarum imperiis, tutius, altius:
Regnum est quod teneo, gratia Numinis,
Regnum est quod cupio, gloria cælitûm:
Regnum est ipse Deus Trinus, & Unicus,
Cujus servitio vivo beatior.
Quàm Mundi tumidis Magnus honoribus,
Regnis, divitiis, præsidiis, potens.
Non tanti celebres ambio lacrimas:
Non ut pœniteam delitias emo:
Pauper possideo nil, cupio minùs,
Apponóque lucro vivere pauperem,
Securúmque mei; ditior omnibus,
Quas auri cumulat divitias amor,
Hic solus locuples, qui patrimonia,
In solo posuit, votáque Numine,
Et virtutis opes: hîc adamantino
Clausus vecte jacet. tutus ab omnibus
Thesaurus manibus Spartali & Harpali.
Nulli hîc Autolici decutiunt feras,
Effringúntque lares: hic posuit loco
Tuto pauper opes, qui nihil expetit,
Nil ambit nitidum quod sapiat lutum.
Multùm est: quod satis est: si cupit amplius
Ultra, jam nimium est: non humilis sitis,
Non discreta fames lauta triclinia,
Ut placetur, amat; dulcè suo sapit
Nativa vitreus fons ab origine:
Et de rupe ruit gratior unda, quàm
Si de vase fluant massica gemmeo.
Sic Rex ipse mihi; nullius indigus:
Contentus modico: me rego; cæteris
Alto consilio mandet & imperet
Curas quisquis amat; jure coërceat

Aut

Aut frangat populos legibus: ambiat
Flexo servitium poplite: sidera
Sublimi feriat vertice, & ætheri
Inscribat titulos: *nomina criminum*
Magnorum jaciunt semina: *pullulat*
Infelix lolium; *fructus honoribus*
Maturat vitium; *plena periculis*,
Et subjecta citis gloria casibus.
Virtutem jugulat: *jura potentiæ*
Extollant alios; *fulminis integram*
Sedem præbet humus; me genus & decus
Exornat veterum nobile Principum,
Antiquæ genus illustre Britanniæ
Deductum Proavis grande potentibus.
Heros (stirps vetus) Ornarius Anglicis
Exortus Ducibus: sanguine splendidus,
Excelsis mage virtutibus: *omnibus*
Regnis altior est, *sub pede qui premit*
Et sceptra & trabeas, *& diademata*,
Et de dira throno fulmina regio,
Vibratásque minas: quotquot acinaces
Aut tormenta furor, vel potis hæresis
Nudis carnificum stringere brachiis,
Forti fronte gerit: pro Fidei lucro,
Aris, atque focis, Romulidûm Sacris,
Pulcrum est magnanimum fundere sanguinem:
Hic murex meritum dat pretium Duci,
Et pulcris decorat stemma coloribus,
Virtutique sacrum, & nobile Martiæ
Deductum à Tritavis & Proavis decus
Reddit splendidius. Sum Procerum nepos
Tantorumque Ducum progenies Patrum:
Non me magna tamen purpura sanguinis
Extollit patriæ nescium originis

Qua

Qua me terra parens, omnibus æmulum
Iris atque Codris non tulit imparem.
Stet quicumque volet culmine lubrico
Mundi, séque potens misceat ætheri,
Attingat tumido sidera vertice,
Infra se Boreæ rideat impetus,
Et Cauri furias: nubila sub pede
Contemnat: melior me saturat quies;
Obscuro positus liber in angulo
Expers invidiæ: perfruar otio,
Quod non diminuat cura, nec anxia
Formido, nec edax tinea gloriæ:
Nullis per tacitum nota Quiritibus
Ætas acta fluat tempus: in aurea
Sic cùm pace mei transierint dies
Nullo cum strepitu, aut turbine nubili,
Divino obsequio compositus senex
Plebejus moriar: cælicolûm choro
Soli notus: *ei mors gravis incubat,*
Notus qui populis est nimis omnibus,
Ignotus moritur deficiens sibi.
Paucis multa loquor: plura nec interest
Ornari populum scire: recondere
Quæ muto est satius pressa silentio.
Ornatus satis est, cùm proba nobilem
Virtus progeniem duxit ad æthera.
Rarò magna vacant nomina crimine:
Hæc quo densa loco se cumulaverint,
His virtus laribus nobilis exulat:
Virtus est humili sub lare tutior,
Quàm Regum Assyriis tecta palatiis.
Pes affixus humi non amat ardua
Casu præcipiti culmina gloriæ,
Nec vulgi imperium; me titulis juvat.

Et ser-

Et ſervum poſitis vivere clavibus.
Frons privata placet: ménsque potentiam
Submiſſis humeris ferre jubentium.
Tanti non mihi ſit ſcire, quis imperet;
Subjectó imperium ſit ſatis obſequi,
Mandatíſque premi: ſervio ſub jugo
Quod non colla gravat, non humeros terit,
Non vires nimio pondere dejicit:
Suave eſt, & leve, cùm *Numen amantibus*
Nil ſit difficile aut arduum: obaudio
Arcanis ſuperûm nutibus; arbitrum
Quod-me-cunq; jubet Numen, id exequi
Eſt in delitiis; id lubet unicum
Æternæ arbitrio ſtare Potentiæ.
Felix ſollicitis nuda negotiis,
Aularúmque procul ſeditionibus
Mens ſemota ſuo tuta ſilentio,
Quæ cùm lætitias, & mala gaudia
Infaméſque choros, feſta, libidines,
Dircæáſque agitat Mundus ineptias,
Gaudet delitiis, quas ſuperûm favor
Indulget lacrimis dulcè madentibus,
O dulces lacrimæ! currite, currite,
Irrorate genas! vos mea ſemina
Inter mœſtitiæ jacta frequentiam
Fructus nata, metam gaudia cælites.
Vos potus lacrimæ, vos lacrimæ cibus,
Vos nectar mihi, vos ambroſia & favus,
Has pernox comedo, perdius & bibo,
Vos noſtrum pelagus, littora palpebræ,
Corpus navigium, remigium Dolor,
Mens Rector, gemitus Caurus & Africus,
Cor cuſtos ſpeculam, ſpes tenet anchoram,
Curſûs vela mei; vota cupidinum

Emi-

Emigrare putri carne frementium.
His elatus aquis, æquora pervolans
Mortalis pelagi, provehar hoſpitæ
In portus Patriæ; luctibus interim
Et lætis liceat fræna doloribus,
Et mæſtis dare ſingultibus otia,
Et ſacris lacrimis addere lacrimas,
Et fletus meritis addere fletibus,
Donec dent ſuperi dicere: *viximus*,
Ac inter lacrimas pſallere: *vivimus*.
Hanc cecinit mixtam lacrimis Ornarius odam.
Aſt, ſi non cecinit, potuit ceciniſſe videri
Fidus Amor, frugiſque bonæ, vitæq; Nepoti,
Ad proculcandos Mundi fallacis amores,
Carnis & illecebras, ſtygiiſque Lycaonis aſtus,
Mergendúmq; omnem lacrimarũ fluctibus Orbem.

S. Chryſoſtomus, ſerm: in Eutropium Eunuchum, Patritium, ac Conſulem, tom: 5. mihi fol: 240.

SI unquam antea, nunc maximè licet dicere: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ubi nunc inclytus ille conſulatûs ſplendor? ubi illuſtres faces? ubi applauſus illi ac choreæ, epulæq; & feſti conventus? Ubi coronæ & aulæa? Ubi ſtrepitus Urbis, & illæ Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes? Omnia illa perierunt. Procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem: tantáque vis venti impacta eſt, ut, cùm nervos ejus univerſos concuſſerit, tum ipſa funditus proſternere minetur. Ubi nunc fucati illi amici? ubi compotationes & cœnæ? ubi Paraſitorum examen, & merum per totam diem exhau-

haustum? variæq; coquorum artes, & potentatûs cultores illi ad gratiam omnia dicere ac facere assueti? Omnia illa nihil nisi nocturnum somnium fuerunt, appetente die evanescens. Flores fuerunt verni. Vere exacto emarcuerunt omnia, Umbra fuerunt, & præterierunt. Fumus erant, & soluta sunt. Bullæ erant, & disrupta sunt. Araneæ erant, & lacerata sunt. Quapropter spirituale hoc dictum occinimus, indesinenter dicentes: Vanitas vanitatum,& omnia vanitas. Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis & fenestris, in januis: sed potissimum in ipsa cujúsque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obversari. Quandoquidem negotia fraudulenta, & personata ac inimica, veritatis opinionem apud plerosque sibi paraverunt. Hoc dicto, in prandio, in cæna, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellare oportebat, idémque ab illo vicissim audire: nempe, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas! An non assiduè tibi dicebam fugitivi servi naturam habere? Tu verò credere nolebas. Ecce experientia docuit, quòd non solùm fugitivæ & ingratæ, sed homicidæ etiam sunt, ut quæ in metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, quum me indesinenter objurgares vera monentem, quòd ego potiùs tibi amicus essem, quàm adulatores? ego redargutor majorem tui curam gererem, quàm hi, qui tibi per omnia obsequerentur? Nonne & hoc addebam: fide digniora esse vulnera ab amicis, quàm ultro ingerentia se oscula inimicorum? Si mea vulnera tulisses, haud quaquam tibi illorum oscula hoc exitium attulissent. Mea enim vul-

nera ſanitatem adferunt; illorum oſcula morbum immedicabilem. Ubi nunc pocillatores tui? Ubi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuásque laudes apud omnes deprædicabant? Transfugerunt, deſeruerunt amicitiam tuam. Suam ſecuritatem tuis periculis quærunt: at non tales nos, ſed & tunc, quamvis ægrè ferentem non deſtituimus, & nunc collapſum protegimus ac curamus? &c. Theatra magnis obſequiis à te culta, quorum cauſâ ſæpiùs nobis offenſus fuiſti, & prodiderunt te, & perdiderunt, &c. Et hæc nunc dico, non quò proſtrato inſultem: ſed quòd eos, qui adhuc ſtant, tutiores reddere cupiam: nec ut plagas vulnerati refricem, ſed ut nondum vulneratos in ſanitate conſervem: non ut jactatum fluctibus demergam: ſed ut eos, qui ſecundis auris navigant erudiam, ne fortè cum ipſo navigio in profundum deferantur. Quo autem modo caveri poſſit? Nimirùm ſi rerum humanarum mutabilitates conſiderèmus. Si enim iſte mutationem timuiſſet, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iſte nec domeſticis, nec alienis conſiliis corrigi potuit: vos ſaltem qui divitiis extollimini, hujus calamitatem in veſtrum profectum convertite. Nihil eſt enim humanis rebus infirmius. Quapropter quocumque nomine earum vilitatem ſignificaveris, minus quàm pro rei dignitate dixeris; vel ſi fumum eas, vel fœnum, vel ſomnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaveris. Uſque adeò ſunt fragiles, & magis nihili, quàm nihil ipſum. Quod autem non ſolùm nihil ſint, ſed & in præcipiti ſtent, vel hinc apparet. Quis hoc nomine fuit excelſi-

or?

or ? nonne in toto orbe divitiis præcellebat ? nonne ad ipsa fastigia honorum conscendit? nonne omnes eum formidabant ac verebantur ? Sed ecce factus est & vinctis miserior,& servis miserabilior,& mendicis fame tabescentibus indigentior : per singulos dies gladios præ oculis habens in se exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam, quæ ad supplicium ducit. Ac neque memoriâ præteritarum voluptatum fruitur : imò ne luce quidem communi : sed meridie quoq;, tanquam in densissima nocte, angustiis parietum inclusus oculorum usu privatur. Et quorsum hæc commemorare attinet, cùm quantumvis adnitar, nullis verbis exprimere valeam. quis illi animus sit, per singulas horas capitis supplicium exspectanti? Aut quid nostris verbis opus est, quum ipsius calamitatis imago ob oculos nostros versetur ? Nuper námque missis ad eum â Rege, qui vel per vim hominem pertraherent, quum ad sacraria confugisset : buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem, quàm mortui colorem obtinet. Accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox singultiens, & lingua titubans. In summâ talis habitus, qualem oportebat habere animam, quæ metu diriguisset. Non minorem nunc video populi frequentiam, quàm in proxima sacrata Paschæ celebritate. Adeò exciti estis istius silentio, quod impræsentiarum quavis tuba clariorem vocem emittit. Et virgines penetralibus, & mulieres gynæceis. & viri foro vacuo relicto universi huc concurristis, ut humanam naturam traduci videretis; & sæcularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illámque in Republica versantium speciem, heri ac nudius ter-

tius præclarissimè splendentem (Talis enim est ex alienis injuriis felicitas, quavis aniculâ rugosâ deformior apparet) rerum mutatione tanquam spongiâ ejus tectoria fucósque abstersisse ; tanta nempe est hujus infortunii vis, quæ virum felicem ac conspicuum, nunc omnium abjectissimum reddidit. Introëat dives aliquis, & magnam utilitatem percipiet. Videns enim à tam celso fastigio delapsum eum, qui totum orbem nutu concutiebat, ac formidine contractum, quavisque rana aut lepore timidiorem, & absque vinculis columnæ huic hærentem, & vice catenæ timore affixum trementémque, deprimet fastum suum ; & consideratis, quæ in humanis casibus consideranda sunt, discet re ipsa doctus, (a) quæ verbis scripturæ nos docent quale est illud. Omnis caro fænum, & omnis gloria hominis ut flos fæni : aruit fænum, flos ejus decidit. (b) Item illud : Sicut fænum cito arescent, & sicut olera herbarum citò decident, quoniam sicut fumus dies ejus sunt. Et reliqua similia. Contrà, pauper introgressus, & hoc spectaculum animadvertens, non displicet sibi ipse, neque sortem suam deplorat ; sed gratias insuper paupertati habet, quæ sibi & asyli vice sit tutissimi, & portûs tranquillissimi, & arcis munitissimæ, & his visis, si detur optio, mallet præsenti conditione contentus esse, quàm omnium facultatibus paulisper occupatis, mox in proprii sanguinis periculum venire. Vides quòd non parva utilitas divitibus & pauperibus, celsis & humilibus, servis & ingenuis, ex hoc istius refugio enata est ? Vides

(a Isai : 46. (b Psal : 36. v. 2.

des, ùt cum remedio quisque hinc abit, hujus rei ſpectaculo affectus ſuos curaturus.

Hanc tibi patheticam ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris, Candide Ornari, ſpeculi & ſtimuli vicem odæ meæ ſubjungo parænesin, ut ſi meum paternum apud te conſilium, & amica exhortatio pondus non habet, illud tanti Doctoris animo tuo, addat auctoritas, inducátque te, ut videas credásque, fluxas mundi hujus delitias, mera eſſe ſomnia & fallacias: honores & gloriam fumos & nebulas: divitias oculorum impoſturas, animi ſpinas & cordis lanienas: voluptates momentaneas inſanias æternis pœnis plectendas, & nunquam terminandis, cruciandas. Inſanus eſt, qui Mundi lubricis delitiis & fluxis fidit voluptatibus. (*c*) *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus. Præterit figura mundi bujus* monet doctor gentium, & nihil poſt ſe relinquit niſi lamentabile, *FUISSE*. *Præterit figura hujus Mundi: ac ſi apertè dicat*, (*d*) ait D. Anſelmus, *Nolite conſtanter mundum diligere, quando ipſe non poteſt, quem diligitis, ſtare. Incaſſùm cor quaſi manentes figitis, dum fugit ipſe, quem amatis. Mundus tranſit, quo univerſa clauduntur, imò figura & converſatio hæc mundi quaſi nubes præterit*; Neque mirùm. *Eſt nempè figura*, (*e*) teſte S. Chryſoſtomo, *tota vita præſens, & fallacia, & à ſomnis nihil diſtat: & proptere Beatus Paulus ſcribens, ait, præterit figura hujus mundi, oſtendens, quòd humanorum quodlibet in figura tantùm eſt, & velut umbra & ſomnium præterlabitur*.

(*c* 3. Joan: 2. v. 17. 1. Cor: 7. v. 31. (*d* S. Anſel: in c. 1. Cor. 7. (*e* S. Chryſoſt: hom: 39. ad pop.

tur, *& nihil habens verum*, *nihil stabile*: (*f*) *Omnia imaginaria*, ait Tertullianus, *in hoc sæculo*, *& nihil veri*, *quia præterit figura hujus mundi.* (*g*) Hinc aptissimè Dionys. Carthus. *In hoc innotescit vanitas mundi*, *quòd prosperitas & lætitia ejus cum ingenti aviditate exspectatur*, *& cùm venerit*, *teneri non potest*, *sed transeunt omnia & evolant.* Quapropter ex considerationе momentaneæ hujus præsentiæ, & celeris, rerum terrenarum, fugacitatis, (*h*) S. Chrysostomus, nimis credulum Cosmophilum sic alloquitur. *Cùm audieris*, *quòd figura tantùm sunt omnia humana*, *veritate carentia*, *quare sponte deceptionem sustines? An nescis fraudes dolosissimi mundi?* (*i*) ait S. Cyprianus; *Arridet mundus ut sæviat*, *blanditur ut fallat*, *illicit ut occidat*, *extollit ut deprimat*, *fænore quodam nocendi*, *quàm fuerit amplior summa dignitatis & honorum tum major exigitur usura pœnarum.* (*k*) Hoc sapientissimus Psalmista David expertus, cum admiratione quærit: *Filii hominum usquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem*, *& quæritis mendaciū? Non diligamus*, (*l*) adhortatur nos Hipponensis Præsul, *mundum*, *nec sequamur mendacium*, *Ecclesiastes exclamat*, *acsi diceret*; *ideò non amanda ima*, *quia transitoria*, *mendacia*, *quia quæ promittent*, *non conferunt. Bona igitur non sunt*: *cùm enim bonorum omnium author sit Deus*, *& à fidelibus suis quæri ac diligi quæque bona præcipiat*, *si mundana vera bona essent*, *nec ipse*

(*f* Tertull: de coron: milit: c. 13. (*g* Dion: Carth: de arcta via salut: art: 23. (*h* S. Chrys: in Ps: 4. (*i* S. Cypr: ad Donatum. (*k* Psal: 4. v. 3. (*l* S. August.

ipſe quidem ea contemneret, nec ſui ſequacibus contemni præciperet. (*m*) Blanditur, arridet, fovet mundus: ſed quam diu? momento temporis: *oſtendit* impoſtor ille Acheronticus, *Chriſto omnia regna orbis terræ in momento*: oſtendit, non tradidit poſſidenda, *& in momento temporis* evanuerunt. Sic agit cum amatoribus ſuis doloſiſſimus mundus: oſtendit per fallaciſſimam impoſturam omnia deſiderabilia, & cùm te apprehendiſſe credis, vaniſſima oculis objecta phantaſmata, velut per ſomnium volatiles, & ſomniantium aëreæ imagines diſparent. (*n*) Non immeritò, Philo pronunciat; *Nihil eſt in humanis rebus, ac negotiis præter umbram, aurámque leviſſimam, ſine mora prætervolantem.* Perpende ſis, omnia, quæ in hoc mundo vides, nihil ſtabile, nihil firmum, præter Deum ſolum reperies: Omnia vicibus ſuis aut pereunt, aut mutantur. (*o*) Solem, illud illuſtriſſimum cæli ſidus vides? deficit: Lunam? laborat. & tabeſcit. Sidera? labuntur & cadunt? Quod ſi ad interitum mutationémque magna illa corpora, & noſtro ſenſu æterna deſtinata ſunt, quis ullam terræ ſtabilitatem promittat? quis rebus caducis fluxíſque fidem præbeat? (*p*) Maximè cùm S. Ambroſius aſſerat: *nihil ſolidum, nihil firmum, tanquam dormientes, ſomnium videntes, non videmus, & audientes non audimus. Vanæ ſpes hominum in hoc ſæculo, quia ea, quæ non ſunt, tanquam quæ ſint, ſequenda arbitrentur. Itaque inanes, & vacuas rerum* ſpe-

(*m* Matth: 4. Luc: 4. (*n* Philo lib: quòd ſit Deus immutabilis, mihi pag. 249. (*o* Drexel: l. 1. de cælo. c. 8. (*p* S. Ambroſ: l. epiſt: 19.

species, tanquam in somno venerunt, abierunt, stiterunt, evanuerunt. Circumfusæ & dispersæ sunt, teneri videntur, & non tenentur. Hanc volatilem & umbratilem felicitatem considerans Propheta, quasi per ironiam interrogat. (q) *Ubi sunt Principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, & soliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exsurrexerunt.* (r) Ex hoc, veluti addito quodam epiphonemate, concludit S. Isidorus, ergo, *brevis est mundi felicitas, caduca & fragilis mundana felicitas, prava est hujus sæculi gloria. Dic ubi sunt Principes? Ubi sunt Reges? Ubi Imperatores? Ubi potestates? Ubi divites mundi? sicut umbra evanuerunt, & velut somnium transierunt, & non sunt.* Quis igitur non meritò ingemiscens dicat: O versipellis, O dolose & fallax Munde, quàm mendax es, etiam cum verissimus videris! Illices fallaciæ sunt, aurum, gloria, deliciæ, veneres: Hæc Candide mi Ornari, contemne! Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, picta & bella sterquilinia? Mundi gratia *vitrea est, quæ cùm splendet, frangitur.* Omnia mundi fluxa & instabilia: amicitiæ illius insidiosissimæ, vanitas vanitatum & omnia vanitas. (s) Liceat mihi de hoc asserere, quod S. Antoninus de vita humana, paucis literis & syllabis immutatis, dicit. *O miser! quan-*

(q Baruch: 3. v. 16. (r S. Isidorus de contempt: mundi. (s S. Antonin: p. 2. Tit: 5. cap: 14. §. 2 de vita humana.

quantos decepisti, quantos seduxisti? qui dum videris, umbra es: dum exaltaris, fumus: dum extolleris nihil es; Dulcis es stultis: amarus es sapientibus, Hic mundus fugitivus est: hic ab initio in se credentes fefellit: se exspectantes decepit: de se praesumentes derisit, & ut omnibus probetur esse mentitus, nullum omninò securum reddit: Hic imperat crimina, suadet scelera, hic admonet furem ut rapiat, iracundum ut saeviat, mendacem ut fallat. Aves paradigma hujus veritatis? Aman nuper ex infimo loco evectus ad sum̃a in Assueri regno potentissimus, & pænè ipsius Regis Rex. Subitò mutavit dolus, & Aman illustre pependit funus in alto. I, nunc fide mundo & splendidis illius imposturis! Sejanus alter Tiberius, & ipsius pænè Imperatoris Imperator, omnia potuit, quæ voluit; Brevi favor & amor in odium verterunt. Tandem Seianus ab ipso Tiberio, potentiam ejus auctiorem metuente, desertus & proditus, ad Gemonias scalas abjectus, & unco tractus est. Ocellus antè Cæsaris, nunc hostium primus: nunc omnium pedibus calcatur, quem priùs nemo non adorabat. Belisarius quid? Post ingentes de Barbaris victorias â Justiniano Imperatore oculis orbatus, è tuguriolo stipem â prætereuntibus emendicans: Viator, obsecro, clamabat: da obolum Belisario, quem invidia cæcavit, non culpa. I, nunc fide Mundo, gloriæ & pompis ejus! Plautianus Antonini Cæsaris socer opulentissimus simul & potentissimus filiæ dotem dederat, quæ Reginis quinquaginta suffecerit. *(t)* Et populo Imperator minùs erat formidini, quàm Plautianus.

(t Dio Cassius in Severo, Baron: ad ann: 206.

tianus. Vox omnium erat, cælum priùs ruiturum, quàm socero Imperator incommodatum iret: sed vices, ut fieri assolet, verterunt. Nam Plautianum structæ cædis insimulatum, ut Herodianus credit, Antoninus gener in Palatio Romæ occidit. Nec satis vitam ademisse Patri, filius Plautus, & Plautilla filia in Insulam Lyparim exulare jussi, paulò post necati. Plautiani nomen insuper ex omnibus monumentis ac tabulis erasum. I. nunc quietem aut mansionem firmam in mundo ambi. Nec opus est Ruffinos, aut Ablavios, fortunæ jocantis pilas, magna nomina, Mundi ludibria, infelicitatis portenta, referre, abundè nostra Anglia exemplorum sufficit, unde fallaciam, perfidiámque dolosissimi Impostoris colligas. Hodie Mundus delitias offert, cras aut perendie quisquilias: hodie mollissimum cervical subjicit, cras ad rigidum tribunal rapit: hodie se protectorem gerit, cras proditorem & impugnatorem senties: hodie donariis te auget, cras ipsa libertate spoliaberis: Mundo fidat, qui suaviter decipi desiderat: verissimè dixit Isaac Presbyter, (u) *Mundus est meretrix, quæ desiderio pulcritudinis suæ ad concupiscentiam trahit videntes eam: qui autem particulariter ejus amore deceptus, ipsum fuerit amplexus, à manibus ejus non potest evadere, donec spoliet eum vita sua, & cùm expoliaverit omnibus, ejiciet eum à domo sua, & in die obitûs sui homo agnoscet eum.* Diu blandiebatur Dalila Samsoni. Demùm latentibus apud se insidiis, & Samsone attonso vociferata est: (x) *Philistiim super*

(u Isaac Presbyt: de contemp: mundi. (x Judic: c.16. v. 19. & 20.

super te Samson: *Et cœpit abigere eum*, *&* *repellere.* Hic heros robustissimus priorem lusum cogitans, facili negotio evasurum se credidit: *nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.* Ita captus à Philistæis, & catenis vinctus in carcerem contrusus est. Sic Mundus, postquam ad nauseam usque nobis illusit, vaferrimè imposuit, & perniciosissimè fefellit; abigit nos à se, in hostium nostrorum vincula tradit, carcere æternùm cruciandos cachinnans mancipari facit. Novit facilè credulos dexterrimè blanditiis circumvenire, mulcere, palpare, & mille basiis dementatis fidem mentiri, ast ubi in arcto positis opem ferre, & datæ fidei respondere necessùm est, longam pinsit post terga ciconiam, popismis explodit, & id agit, quod Judæ Iscariotæ sceleratissimo proditori, Pontificum gratias & favores ambienti, Dominum suum impiissimè vendenti, grande sacrilegium ex conscientiæ tortura agnoscenti, sanguinariam mercedem referenti, incassum pœnitenti, ac demùm desperanti, irridentes Pharisæi responderunt: *Tu videris*: Tute hoc intrivisti, tibi omne exedendum est: *Quid ad nos*: *Tu videris.* Quid hæc ad Mundum? Exede quod intrivisti. Conscientiam tuam neglexisti: favores Mundi quæsivisti, imposturis mendacibus credidisti, pro voluptate & delitiis animam vendidisti, mercedem recepisti; jam *tu videris.* Atque exindè sapientissimus Ecclesiæ Doctor, tantarum fallaciarum conscius, & ex tot imposturarum mundanarum laqueis eluctatus, paternè cautelam suadet, monétque Augustinus, (*y*) ut ex alienis periculis, & ruinis sapiamus, dicens: *Videtis fratres,*

(*y*) S. Augustinus super Psal: 85.

fratres, quia qui vobis dicunt, felices estis, seducunt vos. Populus meus, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & turbant semitas pedum vestrorum. Sic & de epistola Jacobi Apostoli, miseri estote, inquit, & lugete, risus vester in luctum convertatur. Videtis, quæ audistis, & quando nobis hæc dicentur in regione securitatis. Utique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum, ut gemamus hic, & mereamur gaudere ibi. Ploremus hic, ait S. Macarius (z) *lacrimans ad fratres suos, & producant oculi nostri lacrimas, antequam eamus hinc, ubi lacrimæ nostræ corpora comburant.* Nam ait S. Chrysostomus: (*aa*) *Si noluerimus hic flere, illic omnino necessè est, flere & ejulare: illic quidem inutiliter, hìc autem cum emolumento: illic quidem cum ignominia & dedecore, hic verò decorè admodum & honestè: Quod enim necessè sit hoc fieri, audi quid dicat Christus: illic erit fletus & stridor dentium. At non ita qui hic flent: sed magnam consequentur consolationem: Beati enim qui lugent, quoniam hi consolationem accipient. Hæ lacrimæ possunt exstinguere ignem inexpugnabilem, fluvium illum qui trahitur ante tribunal. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur,* ait sacer historiographus Matthæus; (*bb*) *non desiderat patriam peregrinatio sine lacrimis*, ait S. Augustinus; (*cc*) *si desideras, quod non habes, funde lacrimas: nam unde dicturus es Deo: Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo? Unde dicturus es Deo? Factæ sunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte? Unde,* dum

(z In Vit. PP. l. 3. libello 3. n. 9. (*aa* S. Chrysost: in Ps: 6. (*bb* Matth: 5. v. 5. (*cc* S. August: serm: 21. ad Frat.

dum dicitur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus? Quis juſtus non habuit iſtas lacrimas? Qui non habuit, peregrinum ſe eſſe non doluit. Qua fronte ad Patriam venit, qui eam abſens non ſuſpiravit. Quare mi Candide Ornari ultimùm te S. Baſilii Magni conſilio & doctrina, ut *fleas cum flentibus.* excitatum volo: *(dd) Apoſtolus,* ait S. Pater, *ut cum flentibus, & ipſi fleamus, promittit, quòd ejusmodi lacrimæ ſint ſeminium quoddam ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increſcit quotidie & cumulatur;* riſus verò ſæculi, infinitarum lacrimarum ac dolorum geneſis & ſeminarium, cùm nullum in hoc Mundo ſolidum ſit ſolatium, quod ſibi conſtet: nulla beatitudo, quæ perduret; nullæ delitiæ, quæ frontem teneant: nulla dulcedo, quæ non amareſcat: nullum gaudium, quod dolori non miſceatur: nullus plauſus, quem ſuſpiria non excipiant: nulla gloria, quam non comitetur, & inficiat invidia: nulla voluptas ſine felle: nullæ divitiæ ſine ſpinis: nullus ſplendor ſine caligine: nullus honor ſine mœrore; nulla poteſtas ſine timore: ſic Magno illo Africæ Theologo, Hipponenſium Præſule, Eccleſiæ Doctore Auguſtino ad fratres ſuos in eremo degentes: in hæc verba, pronunciante: *Scriptum eſt; fratres chariſſimi, quòd Mundum non diligamus, quoniam mundus tranſit & concupiſcentia ejus. O Munde immunde! qui homines illaqueare non deſinis, quieſcere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris. Væ! qui tibi credit, beatus qui tibi reſiſtit, ſed beatior, qui à te illæſus recedit.* O *Munde proditor! cuncta bona promittis, ſed cuncta mala perfers: promittis*

(dd S. Baſilius hom: 4. de grat: action.)

mittis vitam, sed donas mortem : promittis gaudium, sed largiris mœrorem : promittis quietem, sed ecce turbatio : promittis florem, sed citò vanescit : promittis stare, sed citò recedis. Non ergo es diligendus, quoniam omninò transis, & concupiscentia tua velut fumus evanescit. Alloquantur omnes amatores tui. O Munde immunde! quibus aliquando florem serenissimæ juventutis præstare voluisti, vitam diuturnam, divitiarum copiam, familiarum abundantiam, pacis amœnitatem : dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis Pater Adam cum omnibus filiis suis, & uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu. Nolite igitur, fratres, Mundum diligere, quoniam transit, & concupiscentia ejus. O Munde immunde, fallax, & proditor! Nunquid non periculosior es blandus; quàm molestus? Nunquid non magis timendus es, dum allicis, quàm dum spernis? Nunquid non magis odiendus, dum diligere dissimulas, quàm dum odire te ostendis? O Munde immunde! in te habitare & non dolere, impossibile est : In te sperare & non timere, vanum est. In te tua amare, & non periclitari, impossibile est. O fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit, & concupiscentia ejus. Sed ecce Mundus transit, & nos turbat, & amatur : fallit, & fidelis reputatur : occidit, velut vita desideratur : flectit, & amplectitur. O Munde immunde, & si floreres, quid facerent amatores tui? sed verè non flores, & stabilitatem nullam habes, sed mella tua & dulcedo tua asperitatem

tatem

tatem habent, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam lætitiam, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, & ſpem beatitudinis inanem. Nolite ergo diligere Mundum: quia omne quod in Mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Nolite diligere Mundum, quia in eo ſumma concupiſcentia carnis eſt: Sed quid aliud, niſi concupiſcentia oculorum? O fratres mei, fecit enim Deus nobis oculos videntes, qui fecit magnalia, ut toto corde eum laudemus, plorantes ſi quæ mala fecimus. Ecce in miſeria ſumus, & in miſeriis non ridere, ſed flere debemus. Cùm enim naſcitur puer, non ridet, ſed plorat. Quare plorat, niſi quia voce teſtatur: & confitetur plorando, ſe ad miſeriam deveniſſe? Naſcuntur enim filij Adam ad laborem & dolorem, quia jugum grave poſitum eſt ſuper filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usq; in diem ſepulturæ eorum. Non igitur videre, ſed flere debemus, attendentes & ſcientes, quòd Dominum nunquam riſiſſe, ſed fleviſſe legimus. Sed quomodo fleamus peccata, quomodo elevemus oculos ad montem, unde veniat auxilium, audiamus Joannem. Quid enim dicit, niſi quòd omne, quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia oculorum? Concupiſcentia oculorum dicitur, quia per oculos deſideria auri & argenti, poſſeſſionum & cunctorum terrenorum intrinſecus animæ intimantur. Ideò ſummè cuſtodiendus eſt oculus, quia janua cordis eſt, & nuncius. Nam claude oculum, & voluntas habendi non erit: ceſſet voluntas, & ecce infernus clauditur. Ecce enim, quot mala per oculos fiunt, tot bona per eosdem poſſunt adipiſci. Si enim David

oculos clausisset, fœminam non vidisset, adulterium non commisisset. Si Judas pecuniam non vidisset, magistrum minimè tradidisset. Et si Sodomitæ oculos clausissent, juvenes non vidissent, nec periissent. Claudamus igitur oculos, nè videant vanitatem, custodiamus januam cordis nostri, nè latro, qui quotidie procurat intrare, veniat, & cuncta bona valeat deprædari. Claude enim oculum, & amittes vitium: claude januam, & latronem occides: claude oculum, & voluntas non erit habendi: claude oculum, & infernum clauseris in æternum. Licèt tamen multi cæci mali sint, sed pejores eos fore non dubitamus, si hæc, quæ Mundi sunt, viderent. Ipsa enim visio causa cupiditatis est, & principium appetitûs. Claudamus ergo januam, nè mors intrare possit per fenestras nostras. Quid enim aliud in Mundo esse legimus, nisi superbiam vitæ? O Superbia, cunctarum virtutum noverca, quis te creavit, quis te ad nos misit, quis te ad conventum divitum & pauperum tam miserabiliter introduxit? Scio, quòd Deus te non fecit, nec te ad nos misit, nec te ad conventum pauperum vel divitum introduxit, nec te dum carnem assumpsit, assumere voluit; sed tua inimica humilitate dignatus est habitare inter bovem & asinum, & subditus esse voluit Mariæ & Joseph. Quid ergo agis inter nos? &c. O Superbia, noverca virtutum, mater vitiorum, porta inferni, magistra erroris, caput diaboli, vitiorum principium, quid inter homines facis, quid eis promittis, quòd te tantùm diligere demonstrant? Ecce amatores tui tam citò de altitudine cadunt. Ecce enim Nabuchodonosor, quem tantùm diligere videbaris, & tantùm te diligebat, tam fortiter

te ad-

te adstrinxit, ut credere eum faceres, quia nullus eo major esset in Orbe: *& ecce mox deflectitur , & cadit, & demergitur in profundum , & quasi bos fænum comedit. Ecce quid accidit te diligentibus? Sed te non amantes de stercore penitus elevantur, & collocantur cum principibus populi Domini, solium gloriæ, honoris & dignitatis tenentes in scientia. Eja ergo, discite humilitatem habere, discite superbiam conculcare, discite & eam devitare, velut mortem eam conculcare. O quàm difficile divitibus! O quàm pœnosum! O quàm meritorium! O divitiæ, dulcissimæ & suavissimæ hominibus insipientibus apparetis , sed omni veneno mortaliores estis omni. Venenum enim quis sumere poterit , nisi fuerit aliqua dulcedine copulatum? sed commixtum dulcedini faciliter sumitur: sic enim qui recipit, moritur. Sic qui divitias amat, dulcedinem videtur gustare; sed ecce mors inter divitias latens, hominem superbum, & elatum, divitem, inflatum, aggreditur, & aggressus occiditur, & occisus ad infernum producitur. Ecce quantùm prosunt nobis divitiæ Mundi hujus, per quas occidimur, per quas mutamur quotidie, per quas insidiamur frequenter, per quas animam superbam ad infernum diabolus semper exspectat conducere. Tollite ergo divitias, ut faciliùs tollatur superbia; tollite divitias, & infernus non erit. Date eleemosynam, & omnia munda dabuntur vobis. An ignoratis, quòd pauperibus non dare, tulisse est? Et meritò, quando quis potest esurientibus subvenire, si non pascit, meritò vitam extinguit, & eos mori permittit. Pudeat & erubescat Christianus tollere pauperibus, qui-*

 bus

bus jubemur semper offerre. Ultra omnem iniquitatem est divitem velle fieri de exiguitate pauperum vel viduarum. Itaq; amanda sunt honesta lucra, sed horreantur damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, ubi debeat collecta dispergere. Addendo parcit, qui retinendo collegerit: paupertatem potius ad se trahit, qui paupertatem se exigentium pecuniâ non repellit. O fratres mei, veniet dies illa, veniet, & non tardabit, quando nobis dicetur: Esurivi, & non dedistis mihi manducare: & ultimò dicetur illis: Ite maledicti in ignem æternum. O fratres, si in ignem mittentur illi, qui non sunt elargiti, nec, quæ cum labore lucrati sunt, pauperibus donaverunt, quid dicetur illis, qui aliena rapere non timuerunt? Cum diabolo ardent, qui nudum non induerunt: ubi putamus arsuros qui viduas & orphanos spoliaverunt? Non ergo spoliare debemus pauperes, ut denudati, abundemus in superbia vitæ, sed eleemosynas dare, ut pauperes & humiles simus, non differamus. Sed hæc non solùm facere nobis sufficit, sed & proximum etiam ad hæc inducere festinemus, dicentes potestatem habentibus, & terrarum Rectoribus, quòd non solùm eleemosynam porrigant, sed & quòd regna sua in pace custodiant: scientes quòd remotâ justitiâ, regna latrocinia efficiuntur. Multi enim sunt Rectores, sed pauci justitiæ amatores inveniuntur. Nam cùm quæsitum fuisset â Socrate ridente, cur sic fortiter rideret? respondit: Video magnos latrones ad suspendium duci facere parvos: & alta voce clamasse refertur: O quàm digniores estis suspendi, qui in cathedris & domibus habitatis, latrocinia majora com-

mit-

mittentes, quàm qui in silvis cum tremore quotidie demorari videntur. Quapropter, nolite rapere, nolite fœnerari, ut abundetis in superbia vitæ, sed divitiæ si affluant, nolite cor apponere, sed dispergite eas, ut humiles sitis, & imitari valeatis illum, qui sequentibus se dicit: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus! Cor contritum & humilitatum Deus non despicies. *Psalm.* 50.

S. Bernardus lib. de modo benè vivendi, Serm. X. De compunctione.

COmpunctio cordis est humilitas mentis, veniens de recordatione peccati, & de timore judicii. Illa compunctio est perfecta, quæ repellit à se omnem delectationem carnalium rerum: & toto studio mentis figit intentionem suam in contemplatione Dei. Duplicem esse compunctionem legimus, unam scilicet, quâ propter Deum anima cujusque servi Dei afficitur, id est, cùm ad memoriam reducit mala quæ fecit. Alteram verò, cùm suspirat propter desiderium æternæ vitæ. Quatuor modis compungitur mens justi hominis: nempe memoriâ peccatorum, recordatione futurarum pœnarum, consideratione peregrinationis hujus vitæ, desiderio supernæ patriæ, quatenus ad eam possit citò pervenire. Omnis peccator tunc se cognoscit visitari â Domino, quando compungitur ad lacri-

mas. Nam & Petrus tunc flevit, quando in eum Christus respexit, sicut scriptum est: Et conversus Dominus respexit Petrum; qui statim egressus foras, flevit amarè. Unde etiam Psalmista dicit: Respexit, & commota est, & contremuit terra. Tunc terra contremiscit, quando Peccator ad lacrimas commovetur. Admoneo igitur te (Anima) soror charissima, ut in oratione cum lacrimis ad memoriam reducas peccata tua: quia qui non habet cordis compunctionem, vel contritionem; non habet mundam orationem. Soror mihi in Christo amabilis, audi exempla sanctorum, qui per compunctionem, & lacrimas apud Deum obtinuerunt veniam peccatorum suorum. Anna mater Samuelis per compunctionem,& lacrimas meruit habere filium; insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem, & lacrimas obtinuit veniam perpetrati homicidii, atque adulterii. Sic enim audivit per Prophetam: Non morieris, quia dominus transtulit peccatum tuum. Pater Tobias per compunctionem & lacrimas meruit accipere curationem cæcitatis, & consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphäel Angelus, gaudium tibi semper sit: & adjecit: Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris. Etiam Maria Magdalena per compunctionem, & lacrimas meruit à Domino audire: Remittuntur tibi peccata tua. Soror venerabilis, ideò exempla sanctorum proposui tibi, ut lacrimæ suaves tibi sint. Bona compunctio thesaurus est desiderabilis, & inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima, quæ in oratione habet

habet compunctionem, proficit ad salutem. Vir fortis non est minùs laudabilis in luctu, quàm in bello. Quia ergo post baptismum inqvinavimus vitam, baptizemus lacrimis conscientiam nostram. Ubi lacrimæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. Lacrimæ Pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum. Soror mihi in Christo dilecta, si compunctionem secundùm Deum habueris, beata eris. Compunctio cordis, sanitas est animæ: compunctio mentis illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lacrimas compungitur. Compunctio lacrimarum, remissio est peccatorum, quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lacrimis ad memoriam reducuntur. Compunctio spiritum sanctum reducit ad se; quia cùm spiritu sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. O frater mi, quæso dic mihi, quæ sunt causæ nostri doloris, pro quibus in hac vita mortali ploramus? Propter peccata nostra, & propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, & propter dilectionem cælestis præmii. Propter peccata flebat ille, qui dicebat: lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo. Idem de miseriis hujus mundi gemebat, cùm dicebat: Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Dominus per compassionem flevit super Lazarum, & super civitatem Hierusalem, dicens: Quia si cognovisses & tu. Etiam Paulus Apostolus, qui præcipit gaudere cum gaudentibus

bus, & flere cum flentibus, per compassionem dolebat dicens: quis infirmatur, & ego non infirmor? Cum dilectione cælestis præmii, plorabant justi dicentes illud Psalmistæ: Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur tui Sion. Vita præsens Mors est: quia est plena miseriis, quòd non est in Patria, sed in via, nec est in domo, sed in exilio. In hoc mundo non sumus in nostra civitate, sed in peregrinatione, sicut scriptum est: Non habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Ideo Soror dilecta, moneo te, ut primò lugeas propter peccata tua, deinde propter miserias hujus mundi, atque compassionem proximi: ad postremum verò propter dilectionem Dei ac cælestis præmii Honesta virgo, deprecare Deum cum omni devotione, ut det tibi veram mentis compunctionem, & cordis contritionem. Compunctio Unigenitum Christum Dei filium facit habere in se, sicut Dominus ipse ait; Ego & Pater veniemus, & apud eum, qui me diligit, mansionem faciemus. Ubi lacrimæ abundant, ibi graves cogitationes non propinquant; & si aliquando appropinquant, ibi radices non habent. Lacrimæ apud Deum semper nobis dant fiduciam magnam. Soror in Christo amabilis mihi, audi vocem JESU Christi sponsi tui dicentis: Surge amica mea, & veni per dilectionem: jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra; hoc est, vox prædicantium Apostolorum in Ecclesia. Turtur est avis castissima, quæ in excelsis

& in

& in arboribus ſemper nidificare vel morari ſolet; Apoſtolos vel cæteros doctores ſignificans, qui poſſunt dicere : Noſtra converſatio in cælis eſt, quæ & gemitum habet pro cantu : & ſignificat ploratum ſanctorum, qui ſuos ad lamentum & fletum hortantur, dicentes : Miſeri eſtote & lugete. Igitur, honeſta Virgo, accipe exemplum hujus turturis, & luge propter amorem JESU Chriſti ſponſi tui, quouſque eum videre poſſis regnantem in ſolio regni ſui. Meliùs eſt tibi lugere cum amore JESU Chriſti, quàm cum timore Inferni. *P*ulcræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Natura turturis eſt, ut ſi per occaſionem perdiderit conjugem, alterum ampliùs non quærat. O ſponſa Chriſti, aſſimilare & tu huic turturi, & præter IESUM Chriſtum ſponſum tuum, amatorem non quæras alterum. O ſponſa Chriſti, eſto ſimilis turturi, & luge die, ac nocte cum deſiderio IESU Chriſti ſponſi tui, quia jam aſcendit ad cælos, ut aliquando faciem illius videre merearis in dextera Patris. Pulcræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. In genis ſolet eſſe verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, ſi præ verecundia IESU Chriſti ſponſi tui nihil contra voluntatem illius facis. Genas habes turturis, ſi cum amore & reverentia Chriſti ea, quæ illi diſplicent, poſtponis. Genas habes turturis, ſi præter Chriſtum alterum amicum non diligis. Igitur ſoror chariſſima, indeſinenter peccata tua cum lacrimis lava : quotidie lava tuas negligentias per compunctionem & lacrimas. Transgreſſiones tui ordinis ſine intermiſſione ablue cum lacrimis ; & per lacrimas &

compunctionem acquire tibi tuorum remissionem peccatorum: per lacrimas, & crebra suspiria, acquire tibi æterna gaudia. Plange iniquitates tuas. Mala scelerum tuorum deplora. Mala quæ egisti, flendo commemora. Mœroris unda te irriget. Compellat te plangere fluvius lacrimarum. Quæ gessisti pravè, fletibus dele: quæ illicitè commisisti, lacrimis ablue: Honesta Virgo, si peccata non ploraveris in hoc sæculo, quando dictura es Deo: *Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo?* Charissima, si iniquitates tuas non fleveris in hac mortalitate, quando dices; Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte? Moneo igitur te sponsa Christi, ut in hac mortali vita, lugeas peccata tua, ut consolari merearis in cælesti patria, sicut scriptum est; Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

1.

O Arida frons fontibus
Et nullis uda guttis,
Par Gelboanis montibus
Liquore destitutis,
Stillate fluctus tempora
Sin-anci-put liquare,
Mollescant frontis marmora,
Et fluant velut mare.

2.

O si crines in flumina,
Vertex eat in fontem,
Fundántque mare lumina,
Salum inundet frontem,
Non sistent fluctus palpebras,
Nec littora procellas,
Inges manabunt scatebras
Per orbium pupillas.

3.

Non jugis unda sufficit,
Quam flevit Heraclitus,
Abyssos dolor respicit,
Quas nullum stringat littus;
Andromaches in vinculis
Nil facit huc ploratus,
Hic humor constans guttulis
Est udus Austri flatus.

4. Nec

4.

Nec tu, cûi potus lacrimæ
Die, Noctéque cibus,
Cûi Dolor, tortor animæ
Cor hastis fixit tribus,
Delicti conscientia
Amore, & Pudore,
Rex, fletûs abundantiâ
Par eris, nec dolore.

5.

Nec amatarum Magdalis
Fontana lacrimarum,
Cûi bina fluxit Castalis
Per Phialas genarum,
Qua sponsi JESU eluit
Pedes amara luctu,
Sat largo sinum perpluit
In meos questus flucta.

6.

Quos Petra Petrus fleverat,
Inter eremi montes,
Et jugiter stillaverat
Ubertim salis fontes.
Ut genas instar vallium
Sulcaret unda rimas,
Meorum non canalium
Hæc guttas æquat primas.

7.

In me septeno flumine
Nilus totus inundet,
Qualis excedens limine
Ægyptum ut fœcundet,
Aut torrens quem Aquarius
Verno voluit furore,
Cùm ventus afflat varius
Novo terras tepore.

8.

Cùm cataractæ nubibus
Cæli ruptis paterent,
Et è terrarum finibus
Moles aquæ scaterent,
Cùm orbem totũ clauderent
Magnæ abyssi fontes,
Vastæq; summos plauderent
Balenæ super montes.

9.

Has pluvias, hæc flumina,
Hos optat maris æstus,
Oceani discrimina
In suos Dolor questus,
Enare in his fluctibus
Vult exul ex hoc Mundo
Solus cum suis luctibus
In hoc salis profundo.

10.

Non palpebrarum littora
Arescant in arenas,
Sed nervi fiant æquora,
Pontus eat in venas,
Non Isthmus ullus terminet,
Aut fluxus, aut refluxus.
Donec cùm Fatum imminet,
Frons tota fiat buxus.

11.

O ter felices hoſpites,
Pontique inquilinos,
Natantes, lætos, ſoſpites
Fluctus inter marinos,
Neptuno, Glauco, Doridi,
Palæmonique ſortem
Invideo, & Najadi
Hanc udi regni Fortem.*

12.

Cur brachia perennibus
Aquis non colliquantur?
Cur artus cum Sirenibus
Salo non agitantur?
Infelix ſolus arceor,
Udúsque vetor nare;
Ceu ſaxeus prohibeor,
Ne fiam totus mare.

13.

Cæli, terræque numina
Sint lacus, rivi, fontes,
Nymphæ migrent in flumina,
Et preſſa ferant pontes,
Sit mihi fas, ut difluam
In fontes lacrimarum
Frontéque tota depluam
Oceanus aquarum.

14.

Me ſerò flentem Heſperus,
Eous me videbit,
Gementem manè Phoſphorus
Nimboſus invidebit,
Orion undas, Plejades
Quas frontis eliquabunt,
Et temporum Nereides,
Quas meis noxis dabunt.

* Fertuna.



LIBER

LIBER TERTIUS.

MOTIVA, CAUSÆ,

ET

RATIONES

Jugium in hac vita Lacrimarum.

GAUDIUM ORBIS UNIVERSI, seu LÆTITIAM GENERIS HUMANI devoto in Deiparam affectu, Partheniæ sub tegmine lauri, ad Augustissimum Potentissimæ CÆLESTIUM, TERRESTRIUM, & INFERNORUM REGINÆ, thronum, modestâ modulantis Anacreontis Chely, harmonico duodecim chordarum concentu MAGNÆ DOMINÆ, in prima Operis hujus parte, (dulces animæ delitias magnis Virginis Clientibus facturus) cecini. Nunc Parte hac LACRIMAS ORBIS UNIVERSI, sive DILUVIUM MUNDI (sic enim eas magnus Nazianzenus (*a*) orat. 3. vocat: *Lacrimæ sunt peccati Diluvium, & Mundi piamentum*) LAMENTATIONES, Carmen, & Væ rhythmo oratorio, pio ad gemitum affectu, & sincero Doloris planctu, Devoto & ad lugendum composito Lectori, demississimè offero. Argumentum utriusq; libri Marianus Hymnus SALVE REGINA præbuit. Ex eo-

(*a* Ezech. 3.

Ex eodem, gaudium & luctum, lætitiam & mœstitiam, risum & lacrimas haud secùs, ac ex eodem immensi maris gurgite aurum & gemmas, salem & acerbam muriam, hausi. Aut, in deliciosissimo viridarii rosario, ex eadem radice, in ramis suis efflorescentem pulcerrimam hortorum purpuram, narium delicium, oculorum illicium, florum reginam, *Rosam*: simul & rigidam comitem, durissimó mucrone armatam, velut individuam, fidelémque floris sui principis custodem, aptissimum, ad mærorem comparandum, stimulum, *spinam*, decerpsi. Nempè; Virtus ab utraque salubris; Illa fovet vires, recreat, confortat; at ista, dum pungit, sanat; rumpítque putredinis ulcus, quod latuit, morbi & mortis medicina propinquæ. Hinc plorans ploro, & lacrimæ in maxillis meis; luctúmque induto, calamum dulcissimo priùs Mariani nectaris succo imbutum in salsum & atrum pretiosi Doloris & salutaris Tristitiæ colorem, â tetro sepiæ sanguine comparatum immergere sancta suasit, spiritu veritatis edocta Mater Ecclesia, quæ pro filiis suis, ex eodem Mariano Hymno, Magnæ Deiparentis patrocinium implorans, totum hunc Mundum, & gloriam ejus, *Lacrimarum Vallem* appellans canit: ad Te clamamus Exules filii Evæ: ad Te suspiramus gementes & flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo Advocata nostra, illos Tuos misericordes oculos ad nos converte: Ut omnis, quisquis hoc vitæ exilium, carcerémque ingreditur, noverit se, non ad gaudia, & perennes voluptates; non ad honores, & constantem gloriam; non ad duraturas carnis illecebras, & oclecta-

oblectamenta; sed ad continuum dolorem, gemitum, mœrorem, lacrimas, adversitates, & funestam hujus vitæ tragœdiam natum, quia teste S. Paschasio, (*b*) *in hac lacrimarum valle inter laqueos & ruinarum hostes gradimur, & quia nemo extraneus à miseria, nemo alienus debet esse à fletu, & ploratu cordis.* Undè non incongruè celebris quidam nostri temporis Orator (*c*) » de Tabula Cebetis scribens disserit: Infelix homo è » cæcis alvi maternæ horroribus egrediens, mox ùt » primò Solis radio, illuminatúrne dicam an vulnera- » tur? largam aperit lacrimarum venam, atque ad » primam mundi portam, caducitatis nostræ exacto- » ribus, totius naturæ nomine funestum à nobis exigit » lacrimarum tributum; & priusquam è maternorum » uberum papillis lac bibit, in sinu matris proprium » suum dolorem ab oculis effundit, caróque pretio » amarissimi fletûs auras sibi comparat vitales, sordésq; » partûs sui distillatâ lacrimarum suarum undâ lavat. » Nondum se hominem esse articulata voce declarare » valet, séq; doloribus cinctum esse violentis gemitibus » manifestat; vix sinistrum pedem Mundi hujus scho- » læ intulit, cùm jam à Natura, & arte lacrimari doctus » est, & quasi qui nascendo magnum crimen commi- » serit, subitò tanquam captivus fasciarum vinculis ad- » stringitur. Dixit hoc & docuit pridem S. Cyprianus, (*d*) *Unusquisque*, inquiens, *nostrûm, dum nascitur, & hospitio hujus Mundi excipitur, initium sumit à lacrimis; & quemadmodum adhuc omnium nescius, & igna-*

(*b* S. Paschasius lib. 9. in Matth. (*c* August: Masc: Cebet: p. 1. disc. 2. (*d* S. Cyprian. de bono Patient.

& ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quàm flere, providentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas Mundi, quas ingreditur, in exordio statim, suo ploratu & gemitu rudis anima testatur. Unde non immeritò sibi quisque sapienter occinuerit.

Ut lacrimis cœpi, lacrimis ita finio vitam,
Totum pænè meum vivere, flere fuit.
Sic omnes vitam ordimur, sic claudimus omnes,
A fletu flentes nascimur, & morimur.
Naufraga nos istis tempestas mergit in undis,
Quisque suis mersus sic sepelitur aquis.
Ille unus felix, qui fletum jam egerit omnem,
Ne lacrimas stillet, post sua fata, novas.

Eadem omnibus nascendi & flendi necessitas. Eadem omnibus oriuntur & occidunt sidera: Omnibus eadem terra Patria, & Parens est: eadem omnibus exilium, noverca & sepulcrum. Nec sceptra, nec coronæ, nec purpura, nec byssus, quin fletibus irrorentur, immunes sunt â lacrimis. Eadem omnibus doloris & gemitûs, & ploratûs est conditio. Regum omnium, quos unquam sol conspexit, sapientissimus & felicissimus Salomon, nec â se, nec ab ullo, quos maternus in lucem edidit uterus, alienum esse, lacrimari, dixit: (*f*) *Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: & involumentis nutritus sum, & curis magnis: Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initi.*

(*f* Sapient: 7. v. 3.

initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Omnis sanguis concolor est: idem Divitis Cræsi & pauperis Ibyci: de quacumque seu mancipatûs, seu Majestatis Genealogia descendas, memento Nativitatis tuæ conditionem omnibus parem. Porta introitûs in hunc Mundum & in lacrimarum vallem eadem cunctis panditur. Ad laborem, ad sudorem, ad subjectionem, ad gemitus, ad dolores, & fletus nascimur. *Nemo*, ait quispiam, *impunè nascitur, omnis vita supplicium est.* Mundum ingredi, est crucem ascendere; hominem fieri, est manus, pedésque ad crucifigendum præbere. Primum cubile & lectus, in quem infans de matre natus reclinatur, crux est; eo momento, quo mundum salutat, crucem amplectitur, idémque est, nasci & crucifigi, *ideóque pœnæ subjicitur, quia homo est*: nec alia ratio, aut causa requiritur: unica sufficit, *quia homo est.* Imperatores Constantinopolitani, in palatio suo secretum quoddam conclave, Cæsareo luxu, & splendore ornatum instruxerunt, quod *conclave purpureum*, seu *cubiculum purpuræ* nominabant, in quo Imperatrix certis quibusdam ritibus, cerimoniis & solemnitatibus tempus puerperii sui transigebat, eo fine, & intentione, ut dolores, naturæ comites lenirentur. Verùm parvuli illi Porphyrogeniti (sic enim, quia in purpura nascebantur, proles Imperatricis dictæ sunt) non minùs ac alii mortalium infantes, crucem suam in primo nativitatis suæ exordio repererunt, vitámque, cæteris omnibus pares, lacrimis & gemitibus prodromis ingressi, miseram inchoabant. *Procellas Mundi* (g) ait S.

E Cypri-

(g) S. Cyprian: ut sup.

Cyprianus, *quas ingreditur, statim suo ploratu & gemitu rudis anima testatur.* Omnes Regum & Cæsarum filii eâdem viâ miseriarum & tribulationum, hunc mundum intrant: & quamvìs serenissimis capitibus, aliquando coronandis, prodire videantur, non sunt tamen â communibus naturæ casibus eximii, nec liberi à calamitosa nascendi & moriendi necessitate. Apparantur quidem regio luxu, auro, gemmis, omni lapide pretioso fabricata incunabula, texuntur sericeæ fasciarum tæniæ, sternuntur byssina de mollissima syndone toralia, cygnæis plumis farciuntur culcitræ, & cervicalia, Phrygiis sumptibus & laboribus vermiculata adornantur conopæa, pretiosis peristromatis vestiuntur parietes, Babylonicis aulæis inumbrantur fenestræ, arcetur barbaro tapete vehementior solis aspectus, nè tenellam oculorum aciem nocentius lumen offendat, nec auræ furtivus sibilus per vitrorum rimulas, involucris plumbeis negligenter cohærentibus, junctorum, puerperam periculosiùs afflet: sed nunquid hæc est splendida captivitas? Nónne hoc est serviles fascias & vincula, auro, sericóque multicolore exornare? In his æquè vincti tenentur, ac Principes illi quondam Indiæ, qui exilio, paupertate, & omnium miseriarum calamitatibus pressi, in vinculis aureis miserùm suspirabant, & animam exspirabant. Ità nimirum, statutum est omnibus: Lex eadem pauperum, divitum, Principum, Regum, ac Cæsarum est, cum cruce ad crucem nasci, cum lacrimis ad lacrimas venire, in lacrimis vivere, cum lacrimis hinc abire & mori. Æquali nempe Deus & Natura gradiuntur pede! nemini eximio esse licet â communi pœna, nemini â lacrimarum

tributo

tributo, â Protoparentum nostrorum temeraria prodigalitate contracto, quem communis culpa fecit nocentem: Ad lacrimas indifferenter omnes, pari, cum illis, divini mandati transgressione, condemnati sumus, ut pane, non tam sudoribus, quàm plangoribus nostris coagulato vesceremur, dicente Cypriano: (*h*) *maledicta terra erit in omnibus operibus tuis, in tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*: móxque tanquam indubitatam, quod homini penitus ex necessitate incumbat, infert conclusionem: *in gemitu simus, necesse est, omnibus diebus vitæ nostræ.* Propterea non immeritò Tertullianus, (*i*) *Mentior, si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse, atque intellexisse, quòd natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, ut luce visum, & sono auditum, & humore gustum, & aëre odoratum, & terra tactum: ita illa prima vox de primis sensuum vocibus, & de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est, quòd de perspectu lacrimabilis vitæ quidam augerem incommodorũ vocem illam flebilem interpretantur.* Primam cùm lucem, solísque vident splendorem oculi, suas quoque conspicantur, ut fleant & gemant, calamitates. Reos se, in ipso Nativitatis limine, lacrimarum vident. *Meritò*, ait Clemens Alex: (*k*) *infans, ùt matris utero caput extulit, statim lamenta, non risus, exorditur: nam flebili voce, vitæ propemodum indignatur, cujúsq; prima munera ad degustandum præbentur, exitiosa & mortifera sibi esse animadvertit, manus, pedésq; ejus fasciis con-*

 strin-

(*h* S. Cyprian: ut sup. (*i* Tertull: l. de anima c. 19. (*k* Clemens Alex: in cat; græc, in Job.

ſtringuntur. Unde non immeritò controverti poſſet, feliciórne conditio humani corporis ſit, an bruti, meliórne natura homini Mater, an triſtior Noverca fuerit. *Omnem enim*, ait S. Chryſoſtomus, (*l*) *creaturã ſenſibilem Deus armatam & munitam creavit: contra ſingula quæq; naſcentium animantium propria, eorúmque munimenta, quibus naturam ſuam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piſcem ſquama operit, lana ovem induit, pilus jumenta & feras veſtit: concha teſtudinem excipit: ebur elephantem jacula non timere facit: nec tamen ſinè cauſa factum eſt, quòd cùm ſingula animalium naturæ ſuæ arma habeant ſecum nata, ſolus homo inermis naſcitur & nudus.* Unde Plinius: (*m*) *Non eſt ſatìs æſtimare, Natura meliórne homini mater, an triſtior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboréſque cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata eſt. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo, natali die abjicit, ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lacrimas, & has protinus vitæ principio. Ab hoc lucis rudimento, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaq; natus, manibus pedibúſq; devinctus jacet, flens animal cæteris imperaturum: & à ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam ab his initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos! Prima roboris ſpes, pri-*

(*l* S. Chryſoſt: ſup. Matth. (*m* Plinius lib: 7. in Præf: Hiſt: nat.

primúmque temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibi os? quamdiu palpitans vertex, summæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Jam morbi tot, atq; medicinæ tot contra mala excogitatæ, & hæ quoq; subindè novitatibus victæ. Videmus animalium cætera, mox naturam suam sentire, alia natare, alia ire, alia volare, alia serpere: hominem sinè doctrina nihil scire, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturæ sponte, quàm flere. In hanc quoque veritatem sic egregiè Seneca: (n) *Omnes agedum mortales circumspice: larga ubiq; flendi & assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat: alium ambitio nunquam quieta solicitat: alius divitias quas optaverat, metuit, & voto laborat suo: alium solicitudo, alium torquet labor: alium semper vestibulum obsidens turba: hic habere se dolet liberos, hic perdidisse, ille, nunquam habuisse: lacrimæ nobis non deerunt, antequam causæ dolendi. Non vides, qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen, fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus* in hac lacrimarum valle, gementes & flentes exules filii Evæ, quia, undè lætemur, undè gaudeamus, nihil in hoc mundo superest. *Cur fleam*, ait cit: Seneca, *scio, nempè ob me ipsum: nondùm reperi cur rideam.* Et licet uberrimam humanarum miseriarum conditio, vilitas & afflictio lacrimandi præbeat materiam, major tamen & ponderosior est illa, quam peccati contra Deum, sum-

(n Seneca consol: ad Polyb: c. 23.

mum bonum admissi gravitas & calamitas, & ex hac salutis & æternæ beatitudinis jactura, injusti planctûs & jugis doloris incitamentum subministrat. (*o*) Ac proindè S. Basilius optimè monet: *ob peccatum luge, hoc enim animæ ægritudo est, hoc luctu & ingenti ejulatu dignum est, ob hoc lacrimæ profundantur.* (*p*) similiter & S. Bernardus: *quæ sunt causæ nostri doloris, pro quibus in hac vita mortali ploramus? Respondeo, propter peccata nostra.* Hæc lugens Regius Psalmista, & amaris lacrimis perfusus, oculorum suorum lasciviam, & delicta concupiscentiæ suæ damnans, ingeminabat (*q*) *poculum meum cum fletu miscebam. Vindicabat lacrimis,* ait S. Cyrillus, (*r*) *concupiscentiam oculorum: lavabo, inquiens, per singulas noctes lectum meum, & lacrimis meis stratum meum rigabo.* Et rationem reddit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sola hæc & omnium validissima & sufficientissima lacrimandi causa & materia est, *non custodisse legem Dei*, ut die ac nocte ploremus coràm Domino. Apprimè observat & exponit S. Bernardinus verba illa, (*s*) *lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Lavabo per singulas noctes* (inquit ille) *id est per singula peccata, lectum meum, id est, voluntatem meam, sicut lavatur sordida cutis: vel lectum meum, id est conscientiam meam: lacrimis meis stratum meum rigabo, id est cumulum peccatorum meorum, per lacrimarum imbrem rigabo.* Et S. Augu-

(*o* S. Basilius orat: 12. de mœrore & tristitia. (*p* S. Bernard: de modo benè viv: serm: 10. (*q* Psal. 118. 136. (*r* S. Cyrill: Hierosol: ibid. (*s* S. Bern: tom: 1. serm: 30. a: 1. c. 3. Psal. 6. & 7.

Auguſtinus, (*t*) *Quanquam rigabo, aliquid ſit amplius, quàm lavabo (quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lavari) rigatio verò ad interiora pertinet, quod ſignificat fletum uſq; ad cordis intima.* Et Doctor Seraphicus, (*u*) in illud Jeremiæ: *Deduc quaſi torrentem lacrimas per diem ac noctem*, ſic infit: *Deduc deorſum, duc ad mundationem conſcientiæ per compunctionem. Unde in Pſalmo Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrimis meis ſtratum meum rigabo. Sic currit torrens, & quantò currit impetuoſiùs, tantò citiùs exſiccatur, quia quantò gemitus eſt fortior, tantò citiùs venia impetratur.* Hoc dum Doctor Villanovanus penſiculatiùs perpenderet, admirando exclamavit: (*x*) *O fontem aquæ vitæ, & aquarum viventium puteum, fontem lacrimarum, quo crimen abluitur, macula peccati tollitur, concupiſcentiæ ignis extinguitur, facies animæ lavatur. Facies animæ,* ait *Author Operis Imperfecti* (*y*) *conſcientia intelligitur: projice ergo abs te avaritiæ ſordes, perjurij ſtercora, malitiæq; putredinem, & laviſti faciem, id eſt, conſcientiam tuam.* Hujus rei fidem addit S. Chryſoſtomus, (*z*) *Nihil ita purgat peccata, ùt lacrima, & pulcram oſtendit faciem tuam.* Paradigma luculentum præbet *Illa*, de qua S. Lucas c. 7. (†) *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, cujus facies fuit ſpeculum impudicitiæ, illicium juvenum, viſcus animorum, magnes amorum, irritamentum malorum, *Hæc*, fuſo hoc

(*t* S. Auguſt: in Pſal: 6. (*u* S. Bonav: in illud Thren: 2. v. 18. (*x* S. Thom: de Villan: Conc: in fer: 6. Dom: poſt: Dom: 4. Quadr: (*y* Author Op: Imp: tom: 15. (*z* S Chryſoſt: hom: 12. ad Coloſſ: († Luc: 7.

lacrimarum fonte, heu quantùm eſt mutata ab illa, quæ nuper fuerat? *FLEVIT*: & ſatis erat: lacrimando obtinuit plenam peccatorum indulgentiam, teſtante Chriſto, *remittuntur ei peccata multa. Sic peccatum mulier illa in Evangelio*, ait S. Ambroſius: (*a*) *fœtorémq; ſui erroris abſterſit, ſic culpam diluit, dum JESU pedes lacrimis lavit. Magnam prorſus miſeriam*, ait S. Bernardus, (*b*) *magna miſericordia diluit, & abſtergit, & hoc quidem feſtinanter, quia ſinè ullo intervallo conjunguntur lacrimæ peccatricis & miſericordia Salvatoris*. Et paulò altiùs ibidem: *multitudo miſerationum Domini in peccatricem fœminam refuſa eſt. Tangit pedes mundi atq; mundantis immunda, & veſtigijs Creatoris mulier crimin oſa procumbit. Tranſit in affectum cordis prævaricatrix, & redit ad cor: & magnitudinem ſcelerum, lacrimarum multitudo condemnat. Lacrimis cœpit rigare pedes ejus*: ubi obſervanda eſt dictio illa *cœpit*; quia tunc quidem cœpit plangere, ut per totum pœnitentis vitæ ſuæ decurſum nunquam deſiſteret. *Oculis inundantibus*, ait B. Petrus Damianus, (*c*) *veſtigia Salvatoris infundit, & hac infuſione ſuorum abluit ſordes peccatorum*. Eleganter in hunc ſenſum S. Chryſoſtomus: (*d*) *Grandis gloria Martyrum: ſed Martyres effundunt ſangvinem, peccatores effundunt lacrimas, Meretrix non effudit ſangvinem, ſed fontes lacrimarum profudit, & delevit peccata ſua*. Erat ſordida

(*a* S. Ambroſius lib: 2. de Pœnit. (*b* S. Bernardus ſerm: de S. Mar. Magd. (*c* B. Petrus Damian: ſer: de S. M: Magd. (*d* S. Chryſoſt: hom: 2. in Pſal: 50.

dida & infamis Peccatrix, erat septem dæmoniorum incolatu abominabilis, erat passionum suarum & affectuum mancipium, & tamen *in momento*, execrandam hanc turpitudinem, in Seraphicam transmutavit munditiam, *quia dilexit multùm*, dilectioni addidit lacrimas, testes sui amoris, & *istæ*, ait S. Petrus Damianus, (*e*) *lacrimæ diluunt omne spurcitiarum in meretrice contagium, & immundis manibus tribuunt, ut non solùm pedum, sed & Dominici capitis mereantur attactum.* Et S. Bernardus: (*f*) *Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, & oculis inundantibus vestigia redemptoris infundit, tergit crinibus, & odoriferis illinit & irrorat ungventis.* Nempè, ut ait S. Ambrosius, (*g*) *lacrimantes, veniam non postulant, sed merentur, causam non dicunt, & misericordiam consequuntur*: Et Nazianzenus: (*h*) *Lacrimæ sunt peccati diluvium & mundi piamentum. Si vis veniam mereri*, ait S. Ambrosius, (*i*) *dilue culpam lacrimis tuam, eodem momento, eodem tempore respicit te Christus.* Hoc commovit Hugonem Victorinum, (*k*) ut diceret; lacrimas esse unum de fontibus Salvatoris. *Fons compunctionis, est unus de fontibus Salvatoris: in hoc fonte salus & sanitas. Bibit Petrus ex hoc fonte, & salutem recepit: venit Maria Magdalena ad hunc fontem, & à langvore peccatorum multorum sanata est. Habebat*, ait S. Augustinus, (*l*) *lacrimas Petrus, quas pio fundebat affectu*:

 non

(*e* Petrus Damian: tom: 3. Opusc: 13. c. 12. (*f* S. Bernardus ut sup: (*g* S. Ambros: serm: 46. de Pœnit. (*h* Nazian: orat. 3. (*i* S. Ambr: *l.* 10. in Luc. (*k* Hugo Victor: tom: 2. cap. 3. de nuptiis carn: vit. (*l* S. August: in appen: de diver: serm: 43.

non habebat Proditor fletus, quibus culpam ablueret; quas desperationis laqueo suffocabat: & quoniam proditoria duritie vim erumpendi non inveniebant, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus: lavisset ille cum gemente Petro genas suas lacrimis, fudisset pœnitente affectu ab oculis fontes lacrimarum, tunc non effudisset viscera suâ in terram, & animam in infernum. Harum lacrimarum potentiam, vim & efficaciam inducendæ in animam munditiei, pulcrâ similitudine Hugo Victorinus expressit: (*m*) *Solent materiales panni priùs aquâ frigidâ, postea verò calidâ lavari, & sic ad radios solis, ut siccentur, poni. Aqua miscetur cineri: colatur (ut ita dicam) per pannum, ne cinis transeat, & sic qui lavantur, citiùs mundantur. Cùm enim per amorem cælestium desideriorum compunctionis lacrimæ excitantur, tunc quasi ad ignem ponitur aqua: Cùm carnalis fragilitas attenditur, tunc quasi cineribus aqua miscetur: colatur per pannum, & commovetur cinis, dum per memoriam mortis, considerat animus turbationem carnalis fragilitatis. Per hoc igitur compunctionis lixivium, animæ sordes abluuntur, homicidij scilicet sanguis, invidiæ venenum, luxuriæ fœtor, levitatis pulvis, cupiditatis fumus, pannus menstruatæ, voluptatis cænum.* (*n*) In eandem planè sententiam S. Antonius Paduanus, *sicut panni lotione, & conculcatione, sic anima lacrimarum effusione, & corporali afflictione per abstinentiam, addendo humilitatem per mortis memoriam, in qua velut in cineribus, aqua lacrimarum depuratur, & vim contrahit ablutivam.* Verè vim ablutivam præstant

(*m* Hugo de S. Victore tom: 2. cap: 3. de nupt: car: vit: (*n* S. Anton: Pad: in Sabb: Palm:

ſtant lacrimæ, (*o*) nam teſte Laurentio Epiſcopo Novarienſi, *ibi lavacrum eſt aquæ, ubi dicit ; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Hìc lacrimæ ſunt pœnitentiæ, ubi dicit David: Usquequaque lavabis me ab injuſtitia mea. & à delicto meo munda me : illud publicum, hoc privatum.* Et ne nobis aquas deeſſe conqueramur (*p*) S. Iſidorus Peluſiota, quemlibet fontem vivum domi ſuæ habere his verbis aſſerit. *Præclara quidem, & laude digna eſt pœnitentis animi reſipiſcentia, ſed pauci eam conſequi poſſunt. Deus igitur, qui nos vitam per reſipiſcentiam obtinere vult, de pectore tuo aquam educet, quæ tibi pro altero quodam lavacro ſit, ac voluntaria piſcina, conſcientiam tuam ab inquinamentis expurgans, ut Angelis, quos peccando in mœrorem conjeciſti, lætitiæ cauſam præbeas.* (*q*) Hoc qui caret, inquinatum ſordere, & exſuccum arere neceſſum eſt, ſic aſſerente Doctore mellifluo: *Aquæ inopia, non modò aridum, ſed & ſordidum facit, dum non eſt quo laveris, & humanum cor lacrimas neſciens, non modò durum, ſed & impurum eſſe neceſſe eſt. Et ideò David clamabat, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & conſcientiæ maculas diluam.* Diluit enim verò, *ut ſuper nivem dealbaretur, & Deus contritum & humiliatum reſpiceret.* (*r*) Ergo, ait S. Vincentius Ferrerius, *eſt optimum flere pro peccatis, quia tanta eſt virtus talium lacrimarum, quòd minima gutta lacrimarum veræ contritionis, lavat omnia peccata, quantùm ad culpas.* Habent autem hanc lacrimæ efficaciam, & copioſæ contriti

(*o* Laurent: Ep. Novar. Homil. 1. de pœnit: (*p* S. Iſidor. Peluſ: lib: 1. epiſt. 408. (*q* S. Bernard. ſerm. de fallac. præſent : vitæ. (*r* S. Vinc. Ferr. ſerm. 2. in Dom. 2. Paſch.

triti cordis ab oculis manantes aquæ, ut non tantùm impuram à maculis mundent animam, sed & omnem scelerum colluviem, velut Pharaonicam quandam phalangem amare mari demergant, sic asserente (s) Petro Cellensi: *Demergit lacrima populum criminum, rupiúmque nostri pectoris solvit duritiem, judicis emollit iram, jam intentæ iræ humili ausu flectit minas, vibratas resupinat acies, erecta jam resupinat supplicia, exundantes irrorat flammas, profundit de silice aquas.* Et si meriti sumus gehennales pœnas & supplicia, si rogum tota æternitate cum maledictis spiritibus ferendum, tempori præveniendum esse monet S. Chrysostomus, (t) *rogum peccatorum exstinguamus, non aquis multis, sed parvis cum lacrimis: lacrima rogum exstinguit peccatorum, & fætorem delicti abluit.* Aptissimè in hunc sensum S. Joann: Climacus. (u) *Quemadmodum ignis stipulam depascitur, ita sinceræ lacrimæ, quidquid sordium vel apparet, vel non apparet, abluunt, & delent.* Quin imò ait S. Chrysostomus, (x) *Etiamsi sit ignis, hæ lacrimæ possent exstinguere sensibilem & corporalem.* Unde S. Bernardinus authoritatem adducens S. Hieronymi, in quodam sermone sic scribit: (y) *Lacrima exstinguit infernalem ignem, quem tota aqua non exstingueret Oceani.* Et S. Chrysostomus stimulans nos ad jugem in hac lacrimarum valle fletum, ait; (z) *Si noluerimus flere hic, illic omninò flere necessè est, & ejulare. Illic quidem inutiliter, hic autem cum emolumen-*

(s Petrus Cell: Bibl: vet. PP. tom. 9. c. 12. de panibus (t S. Chrysost: tom. 1 cap. 56. de Pœnit. (u Joann. Climac. Scal. Parad. grad 7. n. 12. (x S. Chrysost: homil. 12. ad Coloss. (y S. Bernardin. tom: 1. serm: 12. art: 1. c. 3. (z S. Chrysost.

mento: & illic quidem cum ignominia & dedecore, hic verò cum decore admodùm & honestè. Quod enim necesse sit hoc fieri, audi, quid dicat Christus: illic erit fletus & stridor dentium. At non ità, qui hìc flent: sed magnam consequentur consolationem: Beati enim qui lugent, quoniam hi consolationem accipient. Hæ lacrimæ possunt exstingvere ignem inexpugnabilem, fluvium illum qui trahitur ante tribunal. Et S. Augustinus: *(a) Hæc est lacrima, quæ Paradisum aperit, infernum claudit*: Et paulò post, in ejusdem sermonis progressu subjungit: *Hoc est cæleste nitrum, quod de rore divinæ gratiæ confectum abstergit maculas peccatorum: hoc est lixivium, quo interioris hominis caput optimè abluitur.* Quapropter S. Ephrem lacrimarum gratiam his constanter à Deo legitur petiisse suspiriis. *Largire mihi indigno famulo tuo Domine lacrimas, ut fontes lacrimarum jugiter cum dulcedine fundam, ut magnum illud delictorum meorum Chirographum modicis lacrimis deleatur, ignisq; ardens ibi, exiguo fletu exstingvatur. Nam hìc si peccata mea deflevero, illic inexstingvibilem ignem evadam.* Ibi inconsolabiliter, & infructuosè ploratur: ast hìc in præsenti vita plangendo tempus utiliter impenditur: ibi in illa tormentorum abysso per totam æternitatem damnati, nè vel minimam nancisci poterunt lacrimarum guttulam sibi proficuam, asserente S. Vincentio Ferrerio (*b*) *Si anima unius damnati, posset habere unam guttã lacrimarum veræ contritionis, Deus illam salvaret: sed non potest, quia tales lacrimæ solùm in hoc mundo possunt haberi.*

Hac

(a S. August. serm. 11. ad Fratr. (b S. Vinc. Ferr. in 2. Dom. post Pascha. serm. 2.

Hac ſpe fretus S. Ephrem, & virtute lacrimarum confiſus ad judicium finale imperturbabiliter ſe acceſſurum meditatur, (*c*) quando illa tremenda inſonabit ſententia: *Ite maledicti in ignem æternum: quando poſiti erunt throni* (ſubjungit ille) *& judicium ſedebit, aperienturq; libri, & uniuscujusq; actiones, & opera publicè, ab Angelis atq; Archangelis legentur. Tunc lacrimarum mearum memineris, ut juſtus judex: nè in medium protuleris iniquitates meas. & lacrimas meas nè ſileas: ſed lacrimarum mearum, in hora illa recordare, ut cum fiducia ad tribunal illud tuum formidabile accedere poſſim: quicumq; enim lacrimas illuc præmiſerit, confidenter ad judicium tuum accedet*; (*d*) non reformidabit *fluvium igneum. rapidúmq; egredientem à facie D E I.* Hæ enim *portas refringunt Inferni, carbones exſtingvunt ferreæ fornacis.* (*e*) Quod & S. Antoninus confirmat, ſanctum Proſperum ſequutus, his verbis: (*f*) *lacrimis ex vera cordis contritione fluentibus reſtingvuntur æterni ignis incendia, de pœn: diſt:* 1. *faciliùs. Si autem homo deflet mortem amici, vel conſangvinei, vel damna rerum, quantò magis habet lugere mortem animæ ſuæ, undè conſequitur infinitum damnum*: Quam doctrinam S. Auguſtini teſtimonio confirmat dicentis: *ſciat ſe peccator culpabiliter reum, ſi deflet damna rerum. & temporis. & non deflet animam perditam in peccatis.* Hæc enim ſola mœrore, lamentis & lacrimis digna ſunt; ut proindè S. Baſi-

(*c* *S.* Ephrem: ſerm: de compunct: & ſalute animæ. (*d* Daniel: 7. v. 10. (*e* Petr: Cellen: Bibl: vet: PP. tom. 9. lib. de Panib. c. 12. (*f* *S.* Antonin. p. 4. tit. 7. cap. 6. §. 3.

S. Basilius, (g) in oratione *de mœrore & tristitia* optimè unumquemque nostrum saluberrimâ doctrinâ monitum velit, dicens: *ob peccatum luge, hoc enim animæ ægritudo est: hoc luctu ingenti, & ejulatu dignum est, ob hoc lacrimæ profundantur: Nam nulla res in hoc sæculo, ait Paulus à Palatio, (h) digna fletu est, nisi peccatum, scilicet mortale: lugent homines corpora mortua, quantò magis lugendæ essent animæ mortuæ? At si peccatum luges, peccatum tibi remittitur.* Similiter S. Bernardus (i) causas & rationes justas, lugendi dignas investigans quærit: *Quæ sunt causæ nostri doloris, quibus in hac vita mortali ploramus? Respondeo propter peccata.* Quia, ut ait Dionysius: (k) *Peccatum est Divinæ Bonitatis contemptus, Divinæ majestatis injuria, Divinæ Sanctitatis offensio, contra Divinam voluntatem rebellio, Divinæ Sapientiæ derelictio, Divinorum beneficiorum ingratitudo, perversæ ac propriæ voluntatis impletio, rationis seductio, infectio animæ, vulneratio virium ejus, turpitudo mentis, peremptio gratiæ, ablatio charitatis infusæ, laqueus mortis, via damnationis, porta inferni, rete diaboli, imitatio dæmonum, detestatio Angelorum, pessima fera, crudelissima bestia, summa malitia, pravitas pura, deformitas maxima, monstrositas quoque turpissima, atque æternæ illius felicitatis amissio deploranda.* (l) *Peccatum est Divinæ Bonitatis contemptus; quantò sublimior est Majestas, majórque Sanctitas, tantò enormius est in*

(g S. Basil: orat. 12. (h Paulus de Palatio. (i S. Bernard. serm: de modo bene viv. 10. (k Dionys. in opusc. de enormit. peccat. c. 7. a. 4. (l Idem artic. 3.

eſt in eum peccare, ei non obedire, ipſum inhonorare: Cùm DEUS æternus ac adorandus, ſit immenſæ Majeſtatis: infinitæ Sanctitatis, æquitatis & perfectionis; peccatum omne, in quantùm contra ipſum, & ejus præceptum committitur, infinitam quodammodò gravitatem & enormitatem contrahit: ac proinde optimè S. Bernardinus, (*m*) *cùm quærit quid eſt homo peccator atq; perverſus? inquit: Eſt homo Peccator inimicus Dei, Angelorum æmulus, amicorum Dei actu & mente contrarius, inimicorum Dei amicus, Dæmonum ſervus, deformata Dei imago, indignitas vitæ, turpator naturæ, corruptio morum, odium ſui, ſubſannatio virtutum, virtuoſorum irriſor, contemptor in mandatis Dei, truffator in Sacramentis, deriſor in promiſſionibus, Cæli exul, Inferni promiſſus civis, amator mundi, turpitudinis cultor, ſubſellium libidinis, crudelis & amara vita, conſcientia prava, voluntas iniqua, conſcientia cæca, ratio corrupta, memoria ſterilis, infructuoſus mons, organum ac cythara, & inſtrumentum diaboli, ex malitia & voluntate, non ex pravitate naturæ: materia infernalis ignis, cænobium cogitationum malarum, obſcuratus ſol, eclypſata luna, ſtella de cælo innocentiæ cadens, ignis in ſeipſo ardens, aqua maris amara, ex fervore mali quieſcere non valens, fluxibile flumen in mare damnationis, graviſſima terra ex ponderibus peccatorum, ſpinas & tribulos malè germinans*: ità, ut jure meritiſsimo in hunc vindictam, ſeveráſque minas ipſa vibret Sapientia, (*n*) *Armabit*, inquiens, *creaturam*

(*m* S. Bernardin. tom. 3. ſerm. de ſociet. bona & mala. p. 39.
(*n* Sapient. 5. v. 18.

turam ad ultionem inimicorum: (o) *Ex offensione enim non solùm iram DEI promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus: etenim si servus alicujus à Domino suo recederet, & inimico Domini adhæreret, non solùm ipsum Dominum exacerbaret, sed etiam totam ejus familiam justissimè irritaret. Cùm igitur Creatorem cunctorum offendimus, adversum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram commovimus. Potest ergo justa nobis consideratione terra dicere, non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere, quoniam à Creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus diabolo servire & adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus, non meruistis, ut vos pascere debeamus, imò potiùs ut confusionem & necem vobis præparemus, ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque vobis ad salutem non debet lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminis, penitùs coërcere: sic & singulæ quoque creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione.* Hæc infelicissima perditi Peccatoris conditio, hæc atrocissima peccati in Deum summum Bonum, infinitam Sapientiam, altissimam Sanctitatem, ter tremendam Majestatem commissi gravitas, enormis impudentia, sacrilega insolentia & audacia; Sanctum Macarium in vastissimam Scythiæ eremum expulit, hæc sacco & cilicio induit, hæc jejuniis emaciavit, hæc vigiliis extenuavit, hæc in terra cubare & saxis incumbere docuit, hæc flagris & verberibus in corpus sævire, & subjugare fecit, hæc continuis gemitibus suspirare, dolere, &

F lacri-

(o S. Anselmus de similit: cap. 101.

lacrimari compulit, hæc ut Fratribus ſalutari doctrina, præceptíſque inſtrui & erudiri cupientibus, *& rogantibus Senibus, ut faceret verbum ad Fratres*, adegit, (p) *ut lacrimans diceret: Ploremus Fratres, & producant oculi noſtri lacrimas, antequam eamus hinc, ubi lacrimæ noſtræ corpora comburant: & fleverunt omnes, & ceciderunt proni in terram, dicentes: Pater, ora pro nobis.* Nec immeritò: quoniam teſte S. Chryſoſtomo, (q) *malorum omnium cauſam conſtat eſſe peccatum: ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atq; omnes quotquot nos premunt, paſſiones. Peccatum*, (r) ait, S. Baſilius, *animæ eſt ægritudo, peccatum eſt mors animæ alioquin immortalis: Peccatum luctu eſt, & implacabilibus lacrimis dignum. Ob peccatum profluant effuſiſſimæ lacrimæ, nec deſinat ex imo pectoris receſſu jugiter proſilire ſuſpirioſus gemitus.* Peccatum facit Dei inimicum, amicum diaboli, cælum claudit, infernum aperit, ad æternas inferorum pœnas impœnitentem præcipitat, (s) ſic affirmante S. Ambroſio, dum quærit, *quæ ſunt portæ mortis, hoc eſt inferni, niſi ſingula quæq; peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingreſſus* es: *ſi peccatum mortale commiſeris, portas mortis intrâſti.* Ac proindè regius Vates minando admonet, ut caveant omnes â ventura ira peccatoribus imminente, (t) *Mors peccatorum peſſima*: (u) in quæ verba S. Chryſoſtomus, *cùm audier*

(p In Vit: PP. l. 5. libello 3. num. 9. (q S. Chryſoſt: hom: 5. de Pœnit. (r S. Baſil: hom 5. in Marty: Jullitam. (s S. Ambroſ: L. 6. in Luc: cap: 9. (t Pſal: 33. v. 22. (u S. Chryſoſtom: 5. ſerm: 34.

dieris mortem animæ, noli mori animam arbitrari, est enim immortalis; verùm animæ mors est peccatum, & supplicium æternum: propterea ait Christus, nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in Gehennam. Latro animæ peccatum elt, ipsum est quod eam crudeliter jugulat, *nam anima, quæ peccaverit, ipsa morietur:* (x) *vita quippè carnis,* ait Ven: Beda, (y) *anima, vita animæ Deus est: mors corporis est amittere spiritum: mors est animæ amittere Deum.* Ah, *quanta pœna est,* ait, S. Augustinus, (z) *tantummodò à facie DEI separari? qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant DEI faciem, timeant vel ignem: supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod DEUS pollicetur? contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ, non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras. Amplexaris peccata tua, & delitias carnis tuæ: stipulas ad te congeris, veniet ad te ignis: ignis in conspectu ejus exardescet. Non erit ignis iste sicut focus tuus, quo tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid volueris, qui hoc minatur. Si tibi dicat: scribe contra caput Patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum, nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies, ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, & facis malum; minatur Deus æter-*

 num

(x Ezech: 18. (y Ven: Beda. (z S. August: tom: 8. in Psal: 49. post princ.

num malum, *& non facis bonum*? *Cogita*, ait B. Prôsper, (*a*) *quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi*, *beatissima Sanctorum omnium societate privari*, *fieri Patriæ cælestis extorrem*, *mori vitæ beatæ*, *morti vivere sempiternæ*, *in æternum ignem cum diabolo & angelis ejus expelli*, *ubi sit mors secunda*, *damnatio exilium*, *vita supplicium*, *non sentire in illo igne*, *quod illuminat*; *sentire*, *quod cruciat*, *exundantis incendij terribiles crepitus pati*, *barathri fumantis cæca caligine oculos obcæcari*, *profundo gehennæ fluctuantis immergi*, *edacissimis in æternùm dilaniari vermibus*, *nec finiri*: *hæc & similia cogitare*, *nihil est aliud*, *quàm vitiis omnibus repudium dare*, *& omnia carnis blandimenta refrænare*, de præteritis lacrimari, & perpendere *momentaneum esse quod delectat*. *& æternum quod cruciat*. *Barbarum est peccatum* ait S. Chrysostomus, (*b*) *tyrannidem exercens in animam semel captam*. *sed in perniciem eorum*, *qui ipsum suscipiunt*. Hoc jugiter meminisse, hoc noctibus, hoc diebus ruminâsse, salutis pharmacum est. Hoc Sapientissimus mortalium suadens, inquit, (*c*) *memorare novissima tua*, *& in æternum non peccabis*: Memorare, *quòd peccata*, us ait S. Chrysostomus, (*d*) *separant à nobis DEUM*, *constituuntque nobis inimicum*. Memorare, quòd faciant mancipium diaboli, (*e*) *qui enim peccatum facit*, *ex diabolo est*, *quoniam ab initio diabolus peccat*. Unde Tertullianus, (*f*) *Peccator traditur diabolo*, *quasi carni-*

(*a* B. Prosper l. 3. c. 12. de vita contempl. (*b* S. Chrysost: hom. 9. in 2. ep: S. Pauli ad Cor. (*c* Eccli. 7 v. 40. (*d* S. Chrysost: lib. 3. de Provid: Dei. (*e* 1. Joann: 3. v. 8. (*f* Tertull. de fuga.

carnifici in pœnam, ut Saul. Et S. Auguſtinus: (*g*) *Unusquisque peccando, animam ſuam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Quin S. Chryſoſtomus (*h*) hominem per peccatum deteriorem reddi, ait, diabolo. Et S. Hieronymus, (*i*) inquit: *Porta diaboli eſt peccatum, ſicut homo juſtus, Spiritus ſancti porta eſt.* Horum malorum â peccato promanantium ſancta recordatio, & ſalubris meditatio, quot pretioſas â Pœnitentium oculis lacrimas, quot gemitus & ſuſpiria ab afflictis cordibus excivit? Hæc ſapiens, matura, & conſtans Peccati in ſummam DEI Bonitatem commiſſi memoria Protopatri Noſtro Adamo, plusquam unius ſæculi, *in quadam lacrimarum valle*, continuum dolorem, gemitum & lacrimas profundi fecit. *Hæc* regium Pſaltem Peccatorem David (*k*) excitavit, ut *lavaret per ſingulas noctes lectum ſuum, & lacrimis ſtratum ſuum rigaret; eſſentque illi lacrimæ ſuæ panis die ac nocte.* *Hæc* Petro Apoſtolorum Principi jugi lacrimarum profluvio, genas, canalium inſtar continuè ploranti, excavavit, *Hæc* Divo Aurelio Auguſtino, magno Eccleſiæ lumini, seriò pœnitenti, publicam criminum ſuorum, Orbi toti manifeſtatam confeſſionem perſuaſit. *Hæc* Filium Prodigum & laſcivientem, in ſemetipſum redire, ſtultitiam ſuam juvenilem agnoſcere, vanitates execrari, libidines averſari, de omnibus erroribus pœnitere, & ad patrem redire docuit. *Hæc* Magdalenam publicam

 Pec-

(*g* Auguſt: in expoſit; propoſit: Epiſt: ad Rom. (*h* S. Chryſoſt: hom: 30. ad pop: Antioch. (*i* S. Hieron: ad ep: ad Epheſ. c. 4. (*k* Pſal: 6. v. 7. & 41. v. 4.

Peccatricem castiùs amare, pedibus JESU accidere, eosdem lacrimis rigare, capillis tergere, caput unguento pretioso perfundere, mundo nuncium remittere, & in eremum concedere, induxit. *Hæc* afflictissimum Prophetam Jeremiam suspirare, plangere, *lamentationes, carmen & væ*, lugubri lessu canere, & Peccatrici Hierosolymæ suæ, crimina oggerere, exprobrare, pœnas, clades, exilia vaticinari, ac tandem excidium dicere coegit. Ut autem TOTIUS ORBIS LACRIMAS, quas in fronte libri scripturum me promisi, tristi gemitu plangere potiùs, quàm canere, demonstrem; brevi compendio(veluti Iliadem nuci inclusam) totum Orbem, sub senis Peccatorum lacrimantium nominibus, afflictum complexus sum. *In Adamo* quidem Protoparente nostro, totam *Generis Humani Universitatem* (in eo enim teste (*l*) S. Bernardo, *omnes peccavimus*, *& in eo sententiam damnationis accepimus*) lacrimantem: *In Regio Propheta David Orbis Moderatores*, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Dynastas delinquentes; *In Petro Apostolo* supremo totius Ecclesiæ capite & Pastore, Episcopos, Prælatos, Præsules, Doctores, Cleri, Ecclesiarúmque Rectores: *In Divo Augustino*, virilis ætatis mores, Politicos, Liberalium Artium Professores, vitæ liberioris errores, delicta, maturam culparum agnitionem, sapientem pœnitudinem, noxarum detestationem & correctionem: *In Filio Prodigo* Juventutis levitatem, inconstantiam, lasciviam, prodigalitatem, & improbam vitæ licentiam, ac tandem ex tot calamitatum

(*l* **S. Bernard: ferm: 1. de Adventu.**

tatum experimentis, doctam pœnitudinem: *In Magdalena Peccatrice*, Sexùs muliebris vanitatem, libertatem, luxum, ſuperbiam, arrogantiam, laqueos, verſutias, blanditias, amores, vitæ malè actæ queſtus, & ſerias lacrimas; Omnis denique ætatis, conditionis, dignitatis, ſexúſque defectus & exceſſus, errores, & ex his emendatioris vitæ lamenta, deſigno. *In Threnis Jeremiæ Prophetæ*, Hieroſolymæ nomine, *Animam*, ſub peccati jugo Babylonico, ſeu vitiorum confuſione captivam, vinctam, preſſam, gementem, Sponſo Deo viduatam, diabolo vectigalem, quotidianis lapſibus & culpis quaſi tributariam, exulem, â DEO proſcriptam, Angelis & Sanctis abominabilem, ex communi SS. PP. Doctorum, & Interpretum tropologico ſenſu, intelligo: Hæc enim eſt illa *civitas, ſuper quam* mitiſſimus *JESUS flevit*, (*m*) teſte Cornelio â Lapide, aſſerente: (*n*) *Sic Chriſtus allegoricè flevit ſuper Jeruſalem vaſtanda per Titum. Multæ civitates aliæ captæ, devaſtatæ, & in cineres redactæ periêre. & tamen*, ait Bernardinus Senenſis, (*o*) *non legimus pro eis Chriſtum fleviſſe, ſed pro anima ſola: Hæc enim Civitas myſticè animam præfigurat*, Et ſup: cit: Cornelius â Lap; (*p*) *Propriè ac peculiariter Jeruſalem hæc, eſt anima, quæ peccato mortali conſentiens, ſtatu Juſtitiæ & regno Dei privata, dæmonis regnum, jugum & tyrannidem ſubit, & clades longè majores, quàm Jeruſalem olim, vel quodvis regnum, aut Reſpublica everſa experiri & perpeti*

(*m* Luc: 19. v. 44. (*n* Cornel: â Lap: in Synopſi cap. 1. Thren. Jerem: (*o* Bernardinus Sen. ſerm: de dign: animæ, a. 3. c. 1. (*p* Cornel: Præf: ad Thren: Jerem.

peti cogitur. Unde & S. Ambrosius. (*q*) *Ipse Dominus Jerusalem flevit, ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lacrimis ad veniam pertingeret: ipse nos flere vult, ut evadere possimus* fletum illum horrendum, amarum, æternum, & stridorem dentium inter Gehennales illas frigoris nives, & interminandos flamarum rogos tota æternitate continuandos. Hunc fletum, seu *lacrimas Pænitentium*, non heroicâ Mantuani Vatis tubâ, non numerosâ Flacci Horatii Lyrâ, non flexanimi Peligni Vatis testudine, non gravi & cothurnati Annæi Senecæ jambo, sed mœstâ, ad fletus aptâ tibiâ, & ad threnodias accommodâ buxo, gemere potius, quàm canere libuit. Gemere libuit concentu rhythmico, omnibus Nationibus, Gentibus & lingvis familiari, quo Poëticos suos lusus, conceptus, eruditionésq; politiores, doctissima dramata, Poëmata, Comœdias, Tragœdias, Amores, Threnos, Diras, Bucolica & Georgica, Satyras, Epinicia, Panegyres, Propemptica, Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, Epitaphia, Inferias, Parentalia, Descriptiones rerum variarum, ad totius Orbis eruditi plausum cantare & evulgare consuevêre. Prô quantâ gravitate Hispani, quantâ inventionum elegantiâ, verborum copiâ & energiâ Galli, quantâ Scriptionis varietate, facundiâ, sententiarum pondere, & deliciosâ concinnitate, variorum affectuum diversitate & vehementiâ Itali, comptissimos & acutissimos ingenii sui partus, huic rhythmico concentui illigarunt? Portenta ingeniosissimarum fictionum (utinam minùs Cupidinem & Venerem olentia) & conceptuum doctissimo hoc

(q S. Ambros: l. 2. de Pœnit: cap: 6.

hoc ſæculo luxuriantium ingeniorum, curioſos in libris palàm evulgatis Lectores, in ſcenis & theatris Spectatores & Auditores, in familiaribus amicorum congreſſibus, conciliis, conviviis laudatores occupavere? Hoc eodem ſcribendi genere Brittanni, Batavi, Poloni, Bohemi, aliáque diverſarum Nationum ingenia, uſa, Cultiorum, â latina gravitate, authoritate, eruditionéque promanantium linguarum, ſtudia, cultum, ſtylíque majeſtatem & facundiam æmulari, non ſine palma nonnunquam contenderunt. Noviſſimè verò Teutonica Poëſis, communi quadam, in publicam Alemannicæ eruditionis, & FRUGIPARA, quaſi ex *Sena*tus Conſulto, multorum Doctorum virorum conſpirantium & collaborantium SOCIETATE, utilitatem, polituram, famam, & commendationem, elaborata & expolita, eò ſublimitatis & eruditionis, hac noſtra temporum tempeſtate aſcendit, ut ſive eximium inventionis & fictionis artificium, ſive tropicam ſcriptionis & elocutionis elegantiam, ſive raram ampliſſimámque rerum copiam, ſive diverſorum affectuum, animos movere, excitare, perſuadere, convellere, conciliare, delectare potentium, varietatem, vehementiam & patheticam gravitatem ſpectes, paucis herbam porrigere velle, aut poſſe videretur. Ex hac æmulationis induſtria, & exquiſito ſcribendi ſtudio, multæ, hac noſtra ætate, & elegantes lucubrationes, Poëſi rhythmica, in lucem vulgatæ, doctiſſimorum virorum manibus teruntur, & ob metri dulcedinem, ſuavitatem, eruditionémque æſtimantur, probantur, commendantur. Ea enim

eſt rhythmi vis & virtus, ut ſuaviſſimo ſuo ſyllabarum concentu, delitioſiſſimè in animos influat, molliátque eos in multiplices affectus. gaudii, triſtitiæ, amoris, doloris, odii, ſpei, differentiæ, iræ, miſerationis, timoris, querelarum, lacrimarum: & quod heroici carminis non poteſt majeſtas, nec tragici jambi authoritas, nec amoroſa elegorum comitas, impetrare aut efficere, hoc ſuaviſſimo in aures & animum illapſu rhythmica valeat, ſuadeat & perſuadeat concinnitas. Hinc eſt, quòd mollioribus rhythmorum numeris, non grandiore metro, rigidæ pietati triſtior vates cecinerim, voluerímque per ipſas lacrimas, *& prodeſſe & delectare*, ſiquidem ea ſpiritualium lacrimarum vis eſt, & natura, ut gaudium lætitiámque etiam afflictis, mæſtíſque mentibus concilient. (r) Sic enim Paulus de Palatio ſuper illud: *Beati qui lugent*, in hanc veritatem loquitur. *Eſt digniſſima dubitatio, qui fieri poteſt, ut lugens ſit beatus? quid luctui ad felicitatem? Et rurſum, Paulus jubet gaudere in Domino ſemper, nec contentus ſemel id præcepiſſe, addit: iterùm dico gaudete: rurſum dicit: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Num hypocriſis eſt vita Chriſtiana, ut cùm gaudeas ſemper, triſtem te eſſe diſſimules? Rurſum regnum Dei, id eſt vita Chriſtiana, eſt juſtitia, pax & gaudium, non triſtitia. Et Dominus: Rogate, ut gaudium veſtrum plenum ſit: Si plenum, quomodo ſecum luctum admittet?* Et mox, lacrimas animæ interiorem conſolationem & exultationem afferre, ſic teſtatur. *Profectò mihi res eſt admiranda: Vir Chriſtianus lugens, & in luctu*

(r Paulus de Palat: ſuper illud. Matth: Beati qui lugent.

luctu suo lætus, adeò ut lacrimas suas pro nulla sæculari lætitia commutet. *Fuerunt*, (s) inquit regius vates, *lacrimæ meæ panis; lacrimæ erant, sed panis etiam erant; luctus erat; sed suavis*: *Quo fine ille etiam ejusdem Prophetæ adduxit verba: secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* In quorum confirmationem illa alia Apostoli verba nobis in memoriam revocat: (t) *sicut abundant passiones Christi, ita & abundat consolatio, nostra*; quibus hanc mox annectit glossam dicens: *Non ità, ut post luctum sequatur consolatio, sed, quodest mirabilius, ipse luctus consolatio est.* *O lacrimæ! delitiæ spiritûs* ((u) exclamat B. Petrus Damianus) *super mel videlicet & favum, atque omni nectare dulciores, quæ mentes ad Deum erectas jucunda saporis intimi suavitate reficitis, & arida & tabentia corda, haustu supernæ gratiæ medullitùs irrigatis.* Eleganter planè in eandem sententiam (x) S. Macarius Senior. *Ha nt Christiani consolationem spiritûs lacrimas, luctum & planctum, súntq; illis lacrimæ delitiarum loco.* (y) Et S. Ephrem: *Certò scitote, Fratres: non fore in terra quid dulcius gratiâ lacrimarum: si quis vestrum expertus lacrimarum dulcedines, mediante oratione, desideravit elevari à terris, totus hic extra corpus in cælum fertur: & quid dico extra corpus? imò extra sæculum Universum totus est, nec ampliùs conversatio ejus invenitur in terris.* (z) San-

(s Psal: 93. v 13. (t 2. Cor: 1. v 5. (u Petr: Dam. (x S. Macar: Senior hom: 15. (y S. Ephrem. tom: 1. orat: de extrem: jud: & compunct. (z S. August: in Psal: 127.

Sanctus Augustinus usque ad trigesimum tertium ætatis suæ annum mundi delitiis, gaudiis, honoribus delectatus, nihil negavit animæ suæ, quo omni voluptate frueretur: his abundè circumfusus & satiatus, post conversionem tamen suam tantam expertus est in lacrimis suis suavitatem, ut asseveret: illas, omnem mundi hujus dulcedinem, delectationem, & suavitatem superare, *dulciores*, inquiens, *sunt lacrimæ orantium, quàm gaudia theatrorum*: & idem alibi: *Diligamus lacrimas, quia suaves sunt diligentibus Deum*: (*a*) Et iterùm, *Ipsæ prodant lacrimæ, ipsæ loquantur, quantùm te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lacrimis continere.* Idem expertus loquitur magnus ille Hieronymus, (*b*) *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, ait; *hoc est quod dicit; quoties egi pœnitentiam, toties me consolatus es: Unam fudi lacrimam, unam merui consolationem: decem fudi lacrimas, decem merui consolationes*: Haud aliter sentit S. Chrysostomus: (*c*) *Nihil est jucundiùs oculis, qui sunt lacrimati*: Et paulò ante dixerat: *Nihil est lacrimis jucundiùs, sciunt, qui lugent, quantam res habeat consolationem.* Illa quoque S. Pauli ad Timotheum, (*d*) scribentis verba; *memor lacrimarum tuarum, ut gaudio implear*, adducens subjungit: *multi enim deflent ex voluptate, adeòque fletus etiam res est voluptatis, ejusq; valdè intensæ.* Hanc utilitatem volupta-

(*a* S. August: serm: 18. ad Fratres. Ex lib: med: cap. 30. (*b* S. Hieron: in Psal: 93. (*c* S. Chrysost: hom: 12. ad Coloss. (*d* 2. Timoth: 1. v. 4.

luptatem, & delectabilem pretiosarum lacrimarum tristitiam, aptiore versuum apparatu impetrare, aut exprimere nec valui, nec volui, nisi modestissimis odarum rhythmicarum numeris, quibus sanctissima Mater Ecclesia Hymnos suos in publicum cultum concinnavit, & etiamnùm vetustissima religione cultos in odæis suis legi & cantari jubet. Hac canendi methodo, veneranda sanctorum Patrum Humanitas, & devotissimus, in Deum, Deiparámque ardor usus, Seraphicos amores suos, tenerrimos affectus, flagrantissima vota, eucharisticos jubilos, Mariana epinicia, Patientis & morientis epicedia, resurgentis triumphos, ascendentis gloriam, regnantis in cælo majestatem, judicantis potentiam, cælestis Patriæ desideria, terrenarum rerum vanitatem & contemptum, futuri sæculi beatitudinem, & infelicissimam damnatorum æternitatem, describit. Ex pluribus paucos insinuo. D. Aurelius Augustinus, lumen & Doctor Ecclesiæ, dulcissimo melo Servatori nostro cecinit DOMINE JESU noverim me &c. Angelicus Doctor & Theologorum Sol Thomas Aquinas, Deo Eucharistico: Seraphicus Doctor Bonaventura rhythmum amænissimum de Passione Domini: Opusculum contemplationis de IESU sui amoribus: Laudismum de cruce: Philomelam: Opusculum de septem verbis: De compassione B. V. M. de corona B. V. M. Salve Regina: De laude B. V. M. Psalterium B. V. M. per tres quinquagenas distributum &c. Mellifluus, DEI, Deiparæque dilectissimus cultor Bernardus Hymnos, ad quodlibet membrum

Christi

Christi patientis, & in cruce pendentis &c. S. Iacoponus de vanitate mundi: D. Dominicus Carthusianus exhortationem ad pœnitentiam: Petrus Damianus Cardinalis Ostiensis de Paradisi gloria: Innocentius III. Papa ad B. V. Matrem ejúsque benignissimum filium; S. Casimirus Regalis gemma Poloniæ, Magnæ Matri cælorum Reginæ, laudes delitiosissimo affectu modulatus est. Longùm foret plurium sanctitate, sapientiâ, doctrinâ asceticâ & Theologicâ illustrium virorum odas rhythmicas in elenchos referre, satis sit, hanc canendi methodum pretium & æstimationem â summa authoritate Ecclesiæ & sanctitate summorum Patrum & Doctorum traxisse. Nostræ certè ætatis non pauci, iíque doctissimi viri eâdem chely rhythmicâ cecinère; Gualterus Paulus S. I. Theologiæ Doctor, perplures ingenio, eruditione, pietate ubique commendatissimos metro rhythmico scripsit libellos; Carolus Verpæus Gallobelga, præter non paucos, quos scripsit laudatissimos Poëmatum libros, novissimè ternos inter Crucem & Christum dialogismos elegantissimo certamine rythmico concinnavit. Iacobus Bidermannus S. J. Orbi toti celeberrimus & cultissimus Poëta, in Ludis suis Theatralibus hoc genere canendi usus est. Quid memorem Iacobum Balde S. I. virum disertissimum, facetissimum, nostri sæculi Apollinem, qui cum Marone tuba cecinit, cum Nasone elegos modulatus est, cum Horatio lusit lyra, cum Annæo Seneca cothurnum indutus, Tragœdus prodiit in theatro, ac tandem etiam Agathyrsum, Latino-Alemanico

rhy-

rhythmo, & Augustissimæ Imperatrici Leopoldinæ 1649. 7. Augusti defunctæ, parinæniâ, doctissimè parentavit. Ioannes Nadasi S. I. plurimorum librorum scriptor, Doctor, Asceta, Poëta non ignobilis, Hebdomadam meditandæ æternitatis, sive rhythmicas, in singulos Hebdomadæ dies distributas meditationes: de Igne Inferni: Hymnos ad sanctissimam Trinitatem pro amore Dei: ad IESUM Crucifixum: ad Beatissimam Dei Matrem; ad sanctum Angelum Custodem; ad sanctam Ursulam & socias ejus &c. ad SS. Ignatium & Xaverium: non sine delitioso legentium fructu, & commendatione evulgavit. Tantis igitur sanctorum Patrum, Virorúmque eximiorum probatissimis authoritatibus, perfectissimis, ad instituti mei rationes, ideis & exemplis inductus, malui teneræ pietati, spirituali solatio, & contrito, ad dulces lacrimas affectui, cordíque, cum dolore gemere, quàm floridis, ac superbis *Poëtarum* calamistris exornatum carmen, in gloriosum cantum cogere, utpote probè gnarus, exornato poëmatum artificio, plus nonnunquam vanitatis, arrogantiæ, & tumoris, quàm solidæ virtutis ad pietatem comparatæ inesse: tutiúsque sanè, secundùm S. Bernardum (*e*) *æmulanda solidiora, quàm sublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, quàm gloriam.* Gemere ad salutem libuit, & in scelerum patratorum veniam plorare, & Divinæ Misericordiæ clementiam per lacrimas implorare, ità ut quidquid sinceræ virtutis inter Dionysia Liberi, quidquid proborum morum inter convivia Apicii, inter Epicuri sa-

ginas

(e S. Bernard: serm: de S. Victore.

ginas, Sybaritarum triclinia. Smyndiridis sympoſia, quidquid puræ integritatis, caſtique floris inter Delias Tibulli, Cynthias Propertii, Catulli Lesbias, Cypridis delitias, Cupidinum faces, ſcelerum incendia, Innocentiæ Syrenes, Juventutis Circes, turpiter & perditè periit, & exaruit, thaumaturgâ lacrimarum potentiâ reviviſcat, rigatum refloreat, floridum in novos frugum ſpiritualium ſurculos adoleſcat, in gemmas repullulet, & in fruges matureſcat. His ſalutaribus pluviis, ab oculorum nubibus copiosè manantibus, *terra* cordis rigata *dabit fructum ſuum*: *Lacrima enim*, ait S. Bonaventura, (*f*) *terram cordis irrigat, & fæcundat, ut habetur in Geneſi*: *Fons aſcendebat de terra, ſcilicet irriguum lacrimarum, irrigans univerſam ſuperficiem terræ ad producendum fructum bonorum operum. Solent agricolæ*, ait Richardus Victorinus, (*g*) *ſiccitatis tempore deductis fontium rivulis terram rigare, nè ariditate nimia exſiccata, nequeat commendata ſemina multiplicare*: *Ad horum imitationem David imbre gratiarum tardante deſcendere, operum ſuorum fructus lacrimarum undâ non negligit infundere*: Et paulò poſt addit: *Nónne internæ infuſionis imbrem tunc exſpectabat, quando cum gemitu exclamabat*: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Anima noſtra, hujus aquæ irriguo deſtituta, quid niſi ſterilis & mortua gleba proferat aliud, quàm infelix lolium, carduos, tribulos, ſpinas, urticas, inutiles & nocivas herbas? Radices autem ſalutarium herbarum, & arborum his humectatæ, & irrigatæ liquo-

(*f* *S.* Bonavent: Diæt: ſalut: tit: 7. c. 3. (*g* Richard: Victor: part: 2. in Pſal: 118.

liquoribus frondium flores parturiant, flores in fructus maturescant, juxta Petrum Damianum, (b) *lacrima, adproferenda virtutum germina, nostri cordis arva fœcundat.* Cui assentitur Hugo de S. Victore pariter de fletu scribens: (i) *Humectantur ab eo virtutum plantaria. Hujus humor nutrit oliveta misericordiæ, rosetа martyrij, castitatis lilia, inviolatæ Virginitatis violas gignit.* Harum autem aquarum scaturiginem, virtutem, & efficaciam singularem, in valle sitarum summopere Regius Psaltes commendat, quæ salubriter irrigua in abundantissimos fructus excrescat, inquiens; (k) *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum:* Ecce fructus, qui ab hac, lacrimis irrigata, valle proveniunt: Subjicitur enim: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Hic fructus lacrimarum est, ut segetem veræ contritionis & doloris in corde surgentem, in copiosam virtutum messem faciat maturescere. Hanc S. Bernardinus ingemiscens avebat: (l) *Cumulum peccatorum meorum per lacrimarum imbrem rigabo, ut inde crescat nova messis virtutum.* Quin S. Chrysostomus plus virtutis spiritualis, lacrimis, quàm aquis, terram irrigantibus, & fructus producentibus attribuit: dicens: (m) *Non sic semina demissus imber germinare, & crescere facit, ùt pietatis semen excitat, & vernare facit ex*

G lacri-

(b Petr: Damianus in Psal: 118. (i Hugo de S. Vict: ibidem.
(k Psal: 83. v. 6. (l S. Bernardinus tom: 1. serm: 30. a. 1. c. 3.
(m S. Chrysost: hom. 4. ad pop.

lacrimis ruens imber. Hic animam detergit, irrigat mentem, doctrinæ germen brevi progredi facit. Et idem in Psal: 6. (*n*) *Lacrimis tanquam imbre utentes, semina virtutis augentes:* Quia, ut ait Petrus Cellensis, (*o*) *Nunquam virtutes aut veniunt, aut diu vivunt, sine cordis irrigatione: omnis plantatio nostra, sine aqua deficit, omnis sterilitas crescit. Neque enim*, ait S. Chrysostomus, (*p*) *perindè amnium fontes floridos reddunt hortos, ùt plantam deprecationis fontes lacrimarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere. Sicut aquarum humore*, ait Hugo Victorinus. (*q*) *& calore solis, terra ista facta fæcundior, copiosiorem cultori suo reddit fructum: Sic hortus animæ, cùm lacrimarùm effluentiâ suffunditur, dum rore cælesti & S. Spiritûs calore vaporatur, segeti virtutum præstat incrementum, pullulare cogit virgulta justitiæ, in vineis charitatis botros multiplicat gratiæ, multiplicat & abundantiam vini, id est, intelligentiam verbi divini.* Quare (verbis ejusdem Hugonis de S. Victore te alloquor) *veni charissime* (quisquis demum aut Peccator aut Pœnitens es) *ad fontem compunctionis, qui oritur in valle humilitatis, cujus unda exstingvit libidinis flammam, vitiorum temperat æstus, mentium sordes lavat, carnalium desideriorum exstingvit sitim. Irrigatur ab hoc fonte castitatis hortus*, quem carnalium desideriorum æstus exsiccat,

flamma

(*n* Idem in Psal. 6. (*o* Petrus Cell: L. de panib: c. 12. (*p* S. Chrysost: hom. 4. ad pop. (*q* Hugo Victor: tom. 2. lib. de carn. nupt. vit. c. 5.

flamma facit exarescere: *Lacrima enim*, ait Divus Bonaventuta, (r) *sitim & ardorem concupiscentiæ sedat, & sicut contra sitim curritur ad fontem, & contra ignem curritur ad aquam, sic contra concupiscentiæ ignem & incendium currendum est ad fontem lacrimarum.* O *felix lacrima*, exclamat S. Augustinus, (s) *tu carnalem cogitationem extingvis.* O *fontem aquæ vitæ* ait S. Thomas Villanovanus, (t) *& aquarum viventium puteum, fontem lacrimarum, quo crimen abluitur, concupiscentiæ ignis extingvitur, facies animæ lavatur.* O lacrima, quæ potes omnia, claudis infernum, aperis cælum, irati Numinis furorem mitigas, cor emollis, manum ferientis delinis, veniam impetras, gratiam consequeris, filios perditionis facis hæredes salutis, & possessores æternæ felicitatis, & immortalis gloriæ. O *quanta vis in lacrimis*, ait S. Chrysologus, (u) *peccatorum, rigant cælum, terram diluunt, extingvunt Gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam.* O *lacrima*, exclamat S. Laurentius Justinianus, (x) *humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad DEUM accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas diabolum.* O *la-*

(r S. Bonav: diæt. salut. tit. 7. cap. 3. (s S. August: serm. 11. ad Frat. (t S. Thom. Villan. conc in fer. 6 post Dom. 4. Quadr. (u S. Chrysolog. serm. 93. (x S. Laur. Just. lib. de ligno vitæ, c. 9.

considerans S. Ephrem exclamat. (*d*) *O lacrimarum virtutem, quandoquidem, & universæ virtutes cælestes tuam potestatem admirantur. O virtutem lacrimarum, quanta potes? Tu quidem Divino assistis throno in gaudio!* (*e*) *O vis lacrimarum! quæ si velis ante sanctum atq; excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere, potes! O vis lacrimarum, in cujus præsentia atq; confidentia Angelorum ordines, cælestésq; omnes virtutes semper exultant. Quomodò in ictu oculi quasi præpetibus sublata pennis in cælum revehis, atque ascendis, & postulata à* DEO *sancto obtines?* (*f*) *O lacrimarum vis, quousq; pertingis? quæ multa cum fiducia, nullis impedita retinaculis ipsum cælum penetras!* Felices lacrimæ! de quibus D. Chrysologus: (*g*) *En mutatur ordo rerum: pluviam terræ cælum dat semper: ecce nunc rigat terra cælum, imò super cælos, & usq; ad ipsum Dominum imber humanarum prosilijt lacrimarum, ut juxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.*

In hac igitur *lacrimarum valle gementes & flentes*, peccatorum pœnitudine compuncti, & dolore contriti, (*h*) *venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino! sed fortè de peccatis vestris, quæ vos longè fecerunt à* D E O, *soliciti estis? Faciamus sequentia, & ploremus coram Domino, qui fecit nos. Ardet forsan conscientia delicti? Lacrimis ex-*

 stin-

(*d* S. Ephrem serm. de comp. & salut: anim. (*e* Idem ibid. serm. 3. (*f* Idem ibid. (*g* Chrysolog. serm. 93. (*h* S. August: in Psal: 94.

ſtingue flammam peccati. Plora ante Dominum, ſecurus plora ante DEUM, qui fecit te. Ploremus ante Dominum qui fecit nos, lacrimæ ante illum etiam mutæ perorabunt, *non enim*, juxta Petrum Damianum (*i*) *poſſunt in ſua petitione contemni, quæ & magnas voces habent in auribus Creatoris: quas profectò voces ille frequenter ad DEUM emiſerat, & quid ad obtinendum poſſent, ſubtiliter noverat, qui dicebat: Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrimas meas: qui enim non oculis attendi, ſed auribus percipi lacrimas poſtulat, voces ineſſe lacrimis manifeſtè deſignat. Lacrimæ nempe cùm in conſpectu pij judicis ſupplicant, nihil hæſitant, ſed ſic miſericordiam tanquam rem quamlibet proprij juris ſibimet vendicant, & impetráſſe ſe, quod petierunt, confidenter exultant.* *Conſurge*, ergo, monet Rupertus, (*k*) *Conſurge* quisquis in cæno peccatorum demerſus hæres! *Conſurge*, qui ab hoſte infernali in prælio victus ſuccumbis, & turpiter proſtratus jaces! *Conſurge! & arma tua corripe, arma lacrimarum, quod eſt effundere ſicut aquam cor tuum, & hoc ante conſpectum Domini!* Nunc tempus eſt, quo lacrimis tuis confundas omnes poteſtates tenebrarum harum, & omnem exercitum inimici! *Nunc flendi tempus eſt*, ait S. Hieronymus, (*l*) *& in futuro ridendi; Beati enim flentes, quoniam ipſi ridebunt: plangendum eſt in præſentiarum, ut poſtea ſaltare valeamus, in ſaltatione illa, qua ſaltavit David ante*

arcam

(*i* Petr Dam: op. 13. c. 12. (*k* Rupert: Abb. l. 1. in Jerem. c. 54.
(*l* s. Hieron: in Eccle: c. 3. v. 3.

arcam testamenti, *& Saülis filiæ displicens*, *magìs placuit Deo : quia qui in præsenti sæculo sua plangit peccata, ridebit potiùs in futuro. Veniet*, inquit S. Augustinus, (*m*) *Deus tuus, de quo dicitur ubi est, & absterget lacrimas, & ipse pro pane lacrimarum succedet, & te in æternum saginabit, quia erit nobiscum Verbum DEI, quo pascuntur Angeli.* (*n*) *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Non desiderat Patriam peregrinatio sine lacrimis : si desideras quod non habes, funde lacrimas, nam unde dicturus es Deo: posuisti lacrimas meas in conspectu tuo? Unde dicturus es DEO: Factæ mihi sunt lacrimæ meæ panes die ac nocte? Unde: dum dicitur mihi quotidie ubi est DEUS tuus? Quis justus non habuit istas lacrimas? Qui non habuit, peregrinum se esse non doluit. Qua fronte ad Patriam venit, qui eam absens non suspiravit?* Hinc exclamat S. Ephrem: (*o*) *O felicem animam Prophetæ David; Beatus hic ac Sanctus, & irreprehensibilis, mansuetissimus, ac receptaculum Spiritûs sancti, dies noctésque in lacrimis transegit: Nos autem, qui infinitis malis sumus obnoxij, nè ad unam quidem horam compungi & pænitere volumus. Ille forma nobis datus est & exemplum, & pænitentiæ via: quare imitemur eum, Fratres, in lacrimis. Ille lacrimas præmittens, magnámque fiduciam habens, audacter valde ad Dominum dicebat: Lacrimas meas nè sileas. Quòd si tanta est fiducia ac libertas flentis, beatus homo, qui lacrimas fundit propter*

 Deum,

(*m* S. Augustinus in Psal. 127. (*n* Idem serm: 11. ad Frat. (*o* S. Ephrem in cap. 5. Matth.

Deum, *præmittitq; illuc*, *ubi cum sancto Propheta David confidenter clamare possit ad Dominum, dicendo*: *Lacrimas meas ne sileas*; *Propheta namq; ille Sanctus vidit se tutò illuc præmisisse lacrimas*, cælorum referatrices, ubi hac miseræ vitæ hujus mortalitate peractâ, non erit ampliùs neque luctus, neque dolor, neque clamor, neque lacrimæ, neque gemitus: *Ubi tristitia nostra*, ait B. Petrus Damianus, (p) *vertetur in gaudium*: *Temporali fletu perpetua lætitia comparatur. Hinc est*, *quòd sancti Viri nunc omni studio fletus*, *& lacrimas seminant*, *ut æterni gaudij fruges metant. Apostolus*, ait Sanctus Basilius Magnus, (q) *ut cum flentibus & ipsi fleamus promittit*, *quòd ejusmodi lacrimæ sint seminium quoddam & fœnus*, *quibus æternum illud gaudium increscit quotidie & cumulatur. Effunde*, monet Propheta, (r) *sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Leva manus tuas*: *deduc quasi torrentem lacrimas per diem & noctem*; *non des requiem tibi*, *neque taceat pupilla oculi tui. Plange homo miser*, ait S. Bernardus, (s) *plange incessanter peccata tua*: *dele lacrimis malitias*, *& miserias tuas*, *quia voluntate propria peccâsti. Displiceat tibi super omnia*, *displiceat tibi toto corde*, *& continuò displiceat tibi*, *quòd Dominum immensæ Majestatis habentem potestatem omnis carnis*, *& mittere corpus & animam in Gehennam*, *ausus fuisti offendere. Amarescat tibi amarissimè cor tuum*, *quòd Deum summum*, *Patrem incomprehensibilis*

(p S. Petr. Dam: l. 5. epist: 2. (q S. Basilius M. hom. 4. de gratitud. (r Thren: 2. (s S. Bernardus serm. de humana miseria, mihi fol, 354. prope init.

ſibilis bonitatis (qui benignus & miſericors eſt ſuper ingratos & malos) voluntariè, libenter ac delectabiliter offendiſti. Totus diſpliceas tibi, ut totus poſſis placere ei, qui eſt ſummus, verus, & ſolus D E U S: *cui nemo placet, niſi qui ſibimetipſi diſplicet: nam*, ut inquit Joann. Climacus, (*t*) *Quicumque verum ex cordis ſenſu luctum poſſederunt, illi vitam quoque ſuam tanquam ærumnoſam quandam omnium lacrimarum, & dolorum conciliatricem oderunt, corpúsque ſuum velut hoſtem averſantur. Cognoſce te ergo, O homo miſer*, ait iterùm S. Bernardus, (*u*) *non te ſubjicias carni, non ſis amator mundi: non te ſuſtineas eſſe filium diaboli, propter honorem potentiſſimi & ſapientiſſimi, & incomprehenſibilis Patris tui altiſſimi, DEI æterni: propter nomen D E I admirabile non te conſtituas adverſarium, & homicidam tui: propter amorem benigniſſimi D E I, non te facias inimicum omnipotentis DEI: propter Unigenitum & dilectum filium ejus JESUM Chriſtum, non te facias Socium dæmoniorum, & combuſtionis ignis æterni; qui redemptus es pretioſo Sangvine agni immaculati, noli tantum pretium vilipendere, quod pro te DEI filius dignatus eſt exſolvere, nè ſempiternis involvaris incendijs. Tunc enim pœnam maximam habebis ſine remedio, tunc dolorem inopinabilem patieris ſine fine, & tormento plenus eris, nunquam tamen alleviaberis: quia qui non flevit, quando erat tempus flendi, æterno luctu lugebit, ſed ſine fructu.* Tandem etiam ego cum S. Ephrem, (*d*) O Pater miſericordiarum

(*t* Joan: Clim: Scal: Parad: grad: 7. (*u* S. Bernardus ut ſup.
(*x* S. Ephrem l. de compunct.

rum, & DEUS totius consolationis, ante thronum Majestatis tuæ, aram veniæ & gratiæ, animo contrito, & afflicto corde, miser Peccator prostratus, supplex oro, atque obsecro. *largire mihi famulo tuo, Domine, lacrimas, illuminationem cordis atque fortitudinem, ut fontes lacrimarum jugiter cum dulcedine fundens, cor meum illustretur in oratione munda, & de* (y) *recordatione peccatorum meorum lugens, & in amorem JESU Christi gaudeam: de memoria præcedentium delictorum meorum plorem, & de spe cælestium bonorum exultem: de transactis culpis & negligentijs meis doleam, & de promissione cælestis regni læter; de præteritis meis delictis contrister, &* de *gaudio æternæ retributionis hilarescam.* (z) *Tu quidem Rex gloriæ, & omnium virtutum Magister, docuisti nos verbo, & exemplo, gemere ac flere, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu flevisti defunctum amicum, & lacrimatus es valde super perituram civitatem. Rogo te, bone JESU, per illas pretiosissimas lacrimas tuas, & per omnes miserationes tuas, da mihi gratiam lacrimarum, quam multùm desiderat & appetit anima mea: quia sine dono tuo non possum habere eam: sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit: da mihi gratiam lacrimarum, sicut dedisti Patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari, ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Da mihi irriguum superius; & irriguum inferius, ut sint mihi lacrimæ panes*

(y s. Bernardus de modo bene vivendi serm: 11. de Trist: circa finem. (z s. August: medit: cap. 36.

nes die ac nocte. Da mihi dulcissime, fontem irriguum, fontémque perspicuum, in quo lavetur assiduè istud iniquitatum holocaustum. Da mihi gratiam lacrimarum, benedicte & amabilis DEUS, *præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum. Tribue pro bonitate, & pietate tua, ut iste calix tuus inebrians, & præclarus satiet sitim meam.* (*a*) *Da mihi, quæso, lacrimas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cælesti jucunditate semper repleant animam meam. Venit mihi in mentem alterius mulieris devotio mira, quæ in sepulcro jacentem præ amore quærebat, quæ recedentibus discipulis de sepulcro non recedebat, quia sedebat ibi tristis ac mærens. Si ergò ità flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat: quomodo te plangere, & in planctu persistere debet anima mea, quæ te Redemptorem suum jam cælo præsidentem, & ubique regnantem corde credit, ore confitetur? Quomodò ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, téque toto desiderio videre concupiscit? Percute,* (*b*) ergò, *Domine percute obsecro, hanc durissimam mentem meam, piâ & validâ cuspide dilectionis tuæ, & altiùs ad intima penetra potenti virtute: & sic de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontem lacrimarum jugiter manantem ex nimio affectu, desiderio visionis pulcritudinis tuæ; ut lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vitâ recipiens consolationem.*

Autho-

(*a* S. August: ibid. (*b* S. August: ibid. cap. 37.

Authoris Exegesis
Nuper Gaudium Orbis Universi, *Nunc* Lacrimas Orbis Universi *scribentis.*

ILle ego, qui nuper gracili modulatus avenâ
Carmen, & ingressus Cæli, Terræque theatra,
Ut quamvìs Magni diademata prona MARIÆ
Submittant plantis, & sceptra potentia Reges
Reginæ obsequiis, & Majestatis honori,
Gratum opus Augustæ Matris Cultoribus, Orci
Invisum Furiis: at nunc mœstissima vitæ
Argumenta cano, threnos, lamenta, dolores,
Væ, Carmen, lacrimas, & amari pabula luctûs,
Et deplorandæ commissa piacula culpæ.
Tu Lector, lacrimis lacrimas superadde gementi,
Aut si flere nequis, gemitus adjunge canenti.



LIBER

LIBER QUARTUS.

Pathetica Paradigmata
Pœnitentium.

ADAM POENITENS,
Sive
TOTIUS HUMANI GENERIS
UNIVERSITAS
Ex communi reatûs contagione lugens & plorans.

TOSTATUS opinatur, Adamum, postquam divinum, de non manducandis arboris vetitæ fructibus, prævaricatus est præceptum, atque è Paradiso expulsus fuit, â sua fuisse conjuge separatum, atque in certa quadam fuisse Valle commoratum, in qua centum annis continuis amarissimè flevit: qui locus proinde à filiis, & nepotibus suis VALLIS LACRIMARUM est appellatus. *Benedictus Fidelis in Paradiso Voluptatis* Verbi Incarnati, *in Domin: V. post Epiph; serm: 1. n. 2. qui citat Abulensem Quæst: XVII. in cap: IV. Genes.*

S. *Ber-*

S. Bernardus serm: 35. super Cantic: mihi fol: 676. lit: M, &c.

EXitus aquarum deducant oculi mei super hujuscemodi animam, quæ cùm nutriretur in croceis, demum amplexatur stercora. Heu! quòd egregia creatura jam olim facta de grege, & nunc in pejus miserabiliter proruens, non saltem inter greges remanere permittitur, sed post abire jubetur. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura: Puto dicerent jumenta, si loqui fas esset: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Cùm in honore esset, inquit; In quo honore quæris? Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus: nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus,, & constitutus super opera manuum Plasmatoris, magìs autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat: & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitûs. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est quòd Panis Angelorum factus est fœnum positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. VERBUM quippe CARO FACTUM est: & juxta Prophetam Isa: 40. (a) OMNIS CARO fœnum. At fœnum istud minimè desiccatum est, nec ex eo cecidit flos, quia requievit super ipsum spiritus Domini, Propter

(a Isa: 40.

pter hoc namque aliquando finis venit universæ carnis, quia spiritus recesserat vitæ. Denique ait: non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. (*b*) Carnis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam. Nec enim spiritum natura expungit, sed vitium. Propter vitium ergo omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni. &c. (*c*) Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis & lacrimosa mutatio, ut homo Paradisi accola, terræ Dominus, Cæli civis, Domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, & cœlestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatam præsepio (*d*) sicut scriptum est: in chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. (*e*) Agnosce tamen, O bos, possessorem tuum, & O tu asine, præsepe Domini tui, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista sunt Dei mirabilia prælocuti. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, qui fugiebas in Paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fœnum, quem panem, & panem Angelicũ fastidisti. Sed quænam causa (inquis) tantæ dejectionis? Profectò quòd homo, cùm in honore esset, non intellexit. Quid non intellexit? non dicit: Nos dicamus; Positus in honore non intellexit, quòd limus esset honoris fastigio delectatus: &

con-

(*b* Gen: 6. (*c* Psal. 40. (*d* Psal. 31. (*e* Esa: 1:

continuò in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis, & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens; qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quòd non fuit, qui jam tunc diceret ei: quid superbis terra & cinis? Hinc egregia creatura gregi admixta est, hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est, hinc societas cum jumentis, pro consortio Angelorum inita est. Vides quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt. Ait enim; propterea hominem jumentis insipientibus comparatum, quia non intellexit.

1.

Audire qui primordia
  Nascentis avet Mundi,
Et Exulis exordia,
  Elysiique fundi,
Petrarum è recessibus
  Convallis Palæstinæ
Auscultet meis questibus
  Mundi causas ruinæ.

2.

Semesa vox singultibus
  Si ruptis interiret,
Et cordis è tumultibus
  Asperior prodiret,
Justis date doloribus
  Hanc syncopen gementis,
Et animæ tortoribus
  Crimen immane flentis.

3.

Extorris heu! me patrio
  Ob culpam Paradiso
In hoc ferarum atrio
  Pro flore spinas viso!
Uxoris O consilio
  Si nunquam annuissem!
Nunquam in hoc exilio
  Tam serò doluissem.

4.

Audite vos Adamidæ,
  MALI nepotes *mei!*
In genas fletus pluite
  Culpæ paternæ Rei,
Vestræ ruinam gratiæ
  Damnum felicitatis,
Jacturam Innocentiæ,
  Virus Posteritatis.

5. Astra

5.

Atra noctis caligine
Mundus torpebat totus,
Nullique sub caligine
Tenebricosa notus.
Cæli, Terræque species
Nullo fulgore culta,
Nostri nec visa facies
Cæca nube sepulta.

6.

Nusquam cursu quadrupedes
Nusquam aves volatu
Pede, vel alâ præpetes
Per aëra rotatu,
Nec Pontus ibat navibus,
Nec Rhodanus procellis,
Nec Urbes vinctæ legibus,
Nec curiæ tabellis.

7.

Non igne Solis circulus,
Non Luna radiabat,
Nec magnus Cœli annulus
Anni vices signabat,
Auroram rosis Oriens
Nondum inspersis pinxit,
Oceano nec Occidens
Solis quadrigam tinxit.

8.

Confusum Chaos omnia
Et moles indigesta,
Artis diæ proscenia
Atrore noctis mœsta,
RES NULLA quæ Artificem
AD OPUS irritaret
Sed *NIHIL*, quod Opificem
Æternùm prædicaret.

9.

VERBO Cælorum speculas,
Terras fecit & undas,
Solem, Lunam, & faculas
Fixas & errabundas;
Ut arbor prægnans fructibus
Et seges fœta staret,
Et plurimus de montibus
Fons jugiter manaret.

10.

Ut prata picta floribus
Et herbis superbirent,
Ignotas quæ odoribus
Novis nares ferirent,
Et velut stellæ terreo
Inspersæ cælo starent
Cultu pares sidereo
De gloria certarent.

11.

DIXIT, *FIAT*: & protinus
Coram adstare feræ
Lupus & Agnus cominùs
Concordes se pavêre,
Saltabant quadrupedia
Cervi, Equi, Leones,
Repebant & apodia
Limax, serpens, Dracones.

12.

Vaſtis Ceti corporibus
Oceanum premebant,
Phocæ, Delphines fluctibus
Adverſis alludebant,
Gens minor, rivos, piſcium
Et fluvios natabat,
Innumerus grex avium
Per aërem volabat.

13.

Rex ſolus, Homo, deerat
Qui cunctis imperaret,
Ut eſſet: luto fecerat
Maſſam, quam informaret,
Membris, mente, *imagine*
Suæ *Divinitatis*,
Vitáque inſpiramine
Immenſæ Bonitatis.

14.

Dedit: & mox vas fictile
In animam viventem
Conſurgit Deo ſimile:
Tunc omnia ſtupentem
In Voluptatis. Hoſpitem,
Locavit Paradiſo,
Beatum, fauſtum, ſoſpitem
In horto nondum viſo.

15.

Se præter, vidit neminem
Præſes delitiarum,
Cui loqueretur, hominem,
In medio ferarum,
Solus hoc viridarium
Gaudens inambulabat,
Nominibúsque varium
Pecus ſuis vocabat.

16.

Ut ſexûs ſui ſociam
Sui parem decoris,
Vitæ, mentíſque conſciam
Haberet & amoris,
Numen latus aperuit
Sopiro dempta coſta,
Mulierémque ſtatuit
Pro coſta, carne pôſta.

17.

Vir primam primus Virginem
Tunc primum Virgo virum,
Sui cultûs imaginem
Conſpexit, & quod mirum
Vix orti, ſapientiâ
Omnimodâ pollebant,
Prudentiâ, ſcientiâ,
Res cunctas cognoſcebant.

18.

Ex una carne juſſerat
Nos duos UNUM eſſe,
Uxori me præfecerat,
Illam, Deus ſubeſſe:
Adam me, Patrem gentium
Vocavit, ego Evam
Illam, matrem viventium
Naturâ æternævam.

19. Sed

19.
Sed & hortum principio
Creavit voluptatis,
Qui nobis foret mansio
Ad gaudia creatis,
Hic arbor multa fructibus
Prægnantibus pendebat.
Et in os prona gustibus
Se sponte offerebat.

20.
Creavit & scientiæ
Boni, malique fructum,
Viscum obedientiæ
In nostra fata structum.
Nitebant circum frondei
Maturæ frugis partus,
Pomique cibus aurei
Ab ungue nullo carptus.

21.
De Cælo nondum pluerat
Ut herba germinaret,
Sed fluvius eruperat
Ut hortum irrigaret,
Qui sectus quadrifariam
Per Orbem circumductus,
Gemmam secum fert variam
Et dites auro fluctus.

22.
Hoc felix viridario
Ibam beatus Hospes,
Fructu me pascens vario
Æternùm vitâ sospes,
Ni serpens animantibus
Cunctis magis dolosus
Securè convivantibus
Sortem esset exosus.

23.
Quæcumque gravant opibus
Volema poma frondes,
Nostris indulsit gustibus
Numen: at ut insontes
BONI MALIQVE ARBORIS
Non gustaremus fructus,
Sin: Seros rei funeris
Depangeremus luctus.

24.
His arboris nos frondibus
Mandavit abstinere,
Et procul ab his fructibus
Innocuos manere,
Cùm manus fructum carpserit
In suum audax Deum,
Mox culpæ vindex aderit
Mors, quæ castiget reum.

25.
Lex ista sit hospitibus,
Hoc primum sit mandatum,
His gula sit limitibus
Sit septum & palatum.
Hoc totum sit pomarium
In vestrum dives esum,
Et frugum seminarium
Sit gustui concessum.

26.
Sic Deus: nos bellaria
Hortorum contemplati
Et frugum dulciaria,
Felicis partus prati;
Primùm quidem horruimus
Negatæ frondis fructum,
Metúque, gulæ fugimus
Lenocinantis ductum.

27.
Ah utinam mens ferrea
Immota constitisset!
Nec tam mollis & cerea
In lævam deflexisset,
Si procul à SCIENTIÆ
BONI, MALIQUE MALO
Fuissem, conscientiæ
Iam non torquerer *MALO*.

28.
Hic omne delectabile
Pulcrúmque visu lignum,
Et ad vescendum nobile
produxit, Deo dignum,
Sed & mortis remedium
Huc arborem plantavit,
In Paradisi medium
LIGNUM VITÆ, vocavit,

29.
Silva patebat liberæ
Amœna voluptati,
Hinc fructus quosvis carpere
Licebat libertati,
Ridebant viridaria
Et invitabant gustum,
Botri, extra cellaria
Dulce sudabant mustum,

30.
Longo pendebant ordine
Frondosi, poma, fœtus,
Quos carpi abs discrimine
Nullus vetabat metus;
Sed *UNA* cunctis altior
Ramis *ARBOR* pollebat,
Quæ gustu suo dulcior
VITÆ fructus ferebat.

31.
Vitam creabant aurea
Poma æternaturam,
Succo suo nectarea
Lactantia Naturam,
Quam nulla mortis spicula
Nec Fati lex falcaret,
Sed per annorum sæcula
In ævum perduraret.

32.
Quidquid pulcrum luminibus
Jucundum, suave, blandum,
Amœnum quidquid auribus
Aut naribus optandum,
Quod gustu delectabile,
Quidquid & suavitatis,
Quod tactu sit amabile
Fert *HORTUS VOLUPTATIS*.

33. Me

33.
Me ſuum animantia
Herum reverebantur.
Ad nutus obſervantia
Me coram ſternebantur.
Ad mea ſe veſtigia
Acclinavêre feræ,
Plantis figebant baſia
Leones & Pantheræ.

34.
Ad vocem, turba plumea.
Volucres adfuêre,
Cùm volui, gens ſquammea
Piſces adnatavêre,
Et ſe mulcendum manibus
Ferinus grex conceſſit,
Mitíſque totus, pedibus
A meis non receſſit.

35.
Quidquid pennæ remigio
Per aërem volabat
Quidquid pinnæ ſubſidio
Flummibus natabat;
Terrarum animantia
Noſtris juſſis parebant.
Currentia, repentia
Ad nutus accurrebant.

36.
Mihi cunctá viventia
Parebant, ut Rectori,
O ſi obedientia
Sic mea Creatori!

Infelix nec oblivio
Me legis fatuâſſet,
Et mea me conditio
Felicem conſervâſſet.

37.
Cum volucrum cohortibus
Aërea choraula
Quadrupedúmque gregibus
Tota ferarum aula,
Inter herbas & gramina
Suaves terræ virores,
Et picturata germina,
Naturæ mira, flores:

38.
Squamoſus terga, coluber
Ceraſtes ſinuoſus
Ad Evam repſit volucer
Colore radioſus,
Caput & collum iridis
Splendores æmulatus,
Ventrem, caudámque viridis,
Totus in fraudes natus.

39.
Scutata terga luteus
Thorax circum armabat,
Mixtus flavo cæruleus
Colores diluebat. † varia-
Caput criſtatum aurea (bat.
(Ni fallimur) corona,
Sepivit, & argentea
Suprema dorſi zona.

40.

Per terram reptans lumina
 Circum nos fraudulenta
Gyrabat, & volumina
 Caudæ in blandimenta,
Linguáque ſtridens trifidâ
 Vocis torſit in verba,
Et ſibilavit perfida
 Conſilia ſub herba.

41.

Cur, inquit, fructu nobilis
 Saginæ abſtinetis?
Huic toto non eſt ſimilis
 In horto, quem videtis:
Eſt dulcis inſtar nectaris
 Plenus Divinitatis,
Nil hujus ſuccus arboris
 Habet mortalitatis.

42.

Eſt plenus ſacro Numine
 Fœtus Scientiarum,
Deum creans ex homine
 Promus delitiarum,
Hic tenebras ab oculis
 Diſcuſſas ſerenabit,
Et duraturis ſæculis
 Ætatem æternabit.

43.

Vana timetis ſomnia,
 Meras umbras horretis,
Secura ſunt hic omnia,
 Non eſt quod formidetis.
Meticuloſi capite
 Pomum Divinitatis
Guſtate, & comedite,
 Fructum æternitatis.

44.

En ut ſuccoſa purpura
 Aurúmque mali nitet?
Ut muſtea puerpera
 Arbor, guſtum invitet?
Nulla timete funera
 VOS ERITIS UT DII,
Per hæc fietis germina
 BONI, MALIQUE SCII.

45.

Ab hoc Serpentis oſcino
 Verbíſque tinctis melle,
Et colubrino faſcino
 Et tecto mortis felle,
Imprudens in hæc germina
 Negatos Eva fructus
Infortunata lumina
 Conjecit & obtutus.

46.

O ſidera errantia!
 O binæ frontis Stellæ!
O Aſtra ſeducentia!
 Meæ fontes quærelæ!
Cur credidiſtis frondeo
 O oculi colori?
Cur annuiſtis melleo
 Tam leves Deceptori?

47. Vix

47.

Vix oculus damnabilem
 Mali fructum aſpexit.
Continuò & facilem
 In gulam me allexit,
Secuta manus, lumina,
 Manúmque blandientis,
Et prægustata fragmina
 Uxoris porrigentis.

48.

Ipſa manum extimuit
 Arbor in furta prœnam,
Ramúmque levans, monuit
 Divinæ legis pœnam,
Quin & ſequentem dexteram
 Reluctans luſit fructus,
Ceù mox futuri teſſeram
 Præfiguraret luctûs.

49.

Sed fugientem pertinax
 Manus ramum ſecuta,
Et in invitam contumax
 Eſt arborem producta;
Carpſit, mihíque avido
 Virago dedit offam,
Et infelicem tradito
 Pomo, procudit ſtropham.

50.

O me amore nimio
 Uxorium maritum,
Dato cedens dominio,
 Qui conjugis delictum
Meo firmavi ſcelere
 Eſúque approbavi,
Et quam decebat plectere
 Aſſenſu roboravi.

51.

Vix infelicem glutii
 Tranſgreſſor legis, bolum,
Cùm augur mens flagitii
 Advertit rea dolum,
Nam tota ſe felicitas
 In luctum commutavit,
Et Paradiſi ſuavitas
 In nauſeam migravit,

52.

Flores viſi flacceſcere,
 Herbæ triſtes langvere,
Amœnitas labaſcere
 Hortus ipſus dolere,
Omnéſque terga vertere
 Læſæ hilaritates,
Et in vicem ſuccedere
 Juſtæ calamitates.

53.

Quin bruta animantia
 Reum deſeruêre,
Nec ut priùs parentia
 Contactum admiſêre,
In me rebellem Numini
 Rebelles ſurrexêre
Feræ, bellúmque homini
 Effreni indixêre.

54.
Leo terrorem induit
Et Tigrides furorem,
Panthera ferox fremuit
Et intulit horrorem,
Lynx, Ursus, Cervus solitum
Excussit dominatum.
Pisces, volucres debitum
Rupêre mancipatum.

55.
In me concita perditum
Armavit se natura,
Et insolens in perfidum
Surrexit creatura.
Suos egressa cardines
Et limites juventa,
Membrorum rupit ordines
Mentísque firmamenta.

56.
Nam mutuos refugimus
Aspectus, nudi vestes,
Et invicem horruimus
Uterque culpæ testes.
Suffusus vultum noxio
Erubui pudore,
Et ipsa consors anxio
Me fugit præ rubore.

57.
Nullum, quod nudos tegeret,
Prostabat vestimentum,
Sola ficus tunc aderat
In vestis supplementum:
Nos foliis velavimus
Contextis nuditatem,
Et hoc, in nostram tulimus
Velum necessitatem.

58.
Hæc prima chlamys regia,
Hoc primum fuit ostrum,
Hæc purpura Sidonia
Et ornamentum nostrum,
Hoc, gnari nostri criminis
Conteximus tegenda,
Et adventantis Numinis
Metuimus eventa.

59.
Nam cùm diei medium
Sol cursu descripsisset,
Suúmque fax incendium
Phæbea domuisset,
Sub auræ lenis Spiritu
(Ni fallor Eurus fuit)
Vox Domini cum sonitu
Præsentis, in me ruit.

60.
Tunc mihi Sudor frigidus
Ubertim destillare,
Horror, tremórque rigidus
Me totum occupare,
Monebat conscientia
Ruptæ legis reatum,
Lugebat Innocentia
Suum amissa statum.

61. Tunc

61.

Tunc quaqua versum licuit
Nos furtim occultare,
Et ubi densum viruit
Nemus, umbras captare,
Deique vultum fugere
Et oculos vitare,
Et deprehensi scelere
Adhuc noxam celare.

62.

O quæ mea insania!
Quæ stulta mens Uxoris!
Vultum cernentem omnia
Latere Creatoris?
Voce jubentis Numinis
E latebris citamur,
Et ad caulam examinis
Dicendam evocamur.

63.

Sic ex asylo cogimur
In publicum prodire,
Et in forum compellimur,
Et judicem audire;
Eheu! quàm erubuimus,
Quàm puduit nocentes!
Quàm nostros tunc maluimus
Insontes esse dentes.

64.

Sed jacta fuit alea:
Tribunal citat reos,
Umbrosa sub ficulnea
Novos in terra Deos,
Quærens erubescentiæ
Causam & nuditatis,
Paventis Conscientiæ
In horto faustitatis.

65.

Furti rei arguimur,
Et legis transgressores,
Et ad crimen compellimur
Fatendum, peccatores:
Hic ego culpam fragili
Uxori affricare,
Et illa detestabili
Serpenti applicare.

66.

Quæ cordis tunc anxietas
Et agonalis sudor,
Quis dolor, quæ calamitas,
Formido, horror, pudor,
Quæ presserit angustia,
Nullis sat explicabit
Figuris Eloquentia,
Nec pœnam vox æquabit.

67.

Sic, cùm se neuter voluit
Agnoscere nocentem,
Utrumque Deus arguit
Sontem, & delinquentem,
Pœnámque junxit noxiis
Gulæ plectens delicta,
Et induit pelliceis
Apponens maledicta.

68.

Quin & illudens crimini
Explosit Deitatem,
Qua similes nos Numini
Nostram mortalitatem
Extollere præsumpsimus,
Ævúmque perdurare,
Et colubro credidimus
Nos Deos æternare.

69.

Extorres horto pellimur,
Delitiis privamur,
Lætitiis exuimur
Exilio damnamur,
Portam, Deus, quæ patuit,
Expulsis obseravit,
Aligerúmque statuit,
Qui clausam observavit.

70.

Hêu quâm horrenda facies
Custodis portæ fuit,
Corusca flammis acies
Ensis, scintillas pluit,
Instar micabat fulminis
Hinc, inde, fulgurantis
Terrore plenus & minis
In reos detonantis.

71.

Huc profugis accedere,
Nefas tentare gressum,
Nam custos sagax pellere
Omnem arcet accessum,
Ultricem gyrans frameam
Excidium minatur,
Viámque munit flammeam
Ne rursus repetatur.

72.

Heu qualibus nos oculis
Respeximus repulsi?
Nullis visuri sæculis
Horti pompam occlusi!
Quantas, eheu! perdidimus
Rerum felicitates?
In quas cæci incidimus
Vitæ calamitates?

73.

Tunc gemitus, tunc lacrimæ,
Tunc serus furti luctus,
Tunc æstuantis animæ
Reciprocantis fluctus.
Tunc tunsi planctus pectoris,
Abyssus tunc dolorum,
Tunc tardus horror sceleris,
Tunc pelagus votorum.

74.

Nec aliud Exulibus
Restabat nisi *FLERE*,
Sic noctibus: sic solibus
Sonabat *MISERERE*;
O tristis vox! *QUID FECIMUS*?
O nimis *CANTUS DURUS*!
O sera vox. *PECCAVIMUS*!
Dolor nil profuturus,

75. Fru-

75.
Fruſtrà tempe requirimus
Hortum delitiarum,
Spe deſtituti ſedimus
IN VALLE LACRIMARUM,
Triſtes circum imagines
Saxa, montes, vepreta,
Immanes ſolitudines
Spineta, ſenticeta.

76.
Quocumque currunt lumina
Occurrunt & terrores.
Calva petrarum culmina
Et vallium horrores,
Teſqua, dumi, & tribuli
Novis ſeges colonis,
Sunt dura meſſis Sarculi
Aratri & ligonis.

77.
Hic nova cæli facies
Nusquam priùs conſpecta,
Mutata terræ ſpecies
Putoribus infecta,
Nec ſol terris amabili
Ut priùs riſit ore,
Sed nube tectus flebili
expalluit colore.

78.
Horrere cælum nubibus
Et fulgetris micare,
Contremere fulminibus
Montésq; vulnerare * verberare
Feralibus tumultibus
Per aërem tonare
Et igneis furoribus
In ſontes nos bellare.

79.
Non ut priùs, Elyſiæ
Nos auræ flos afflavit,
Nec graciles Eteſiæ,
Nec Zephyrus beavit,
Sed Africis frementibus
Rupta tempeſtas ruit,
Et defluis torrentibus
Grandinibúsque pluit.

80.
Hiems ab Arcto frigora
Nivémque advocare,
Et glaciata corpora
In Saxum indurare,
Et aëris clementiam
Mutare in torporem,
Veríſque florulentiam
In funeris horrorem.

81.
O qualis hæc, quàm lugubris
Fuit apotheoſis!
Quàm pompa mihi funebris
Dura metamorphoſis!
In nos viſa ſunt ſurgere
Terrarum elementa,
Et concitata plectere
Culparum inſtrumenta.

82. Hic

82.

Hic quidquid lævum, horridum,
Infandum, execrandum,
Atrox, crudele, squalidum,
Dirum, abominandum,
In me plenis agminibus
Quâ data porta ruit,
Et veluti torrentibus
Malorum præceps pluit.

83.

Huc criminum propagines
Mors, & Mortis ministri,
Morbi, vitæ teredines,
Et hospites sinistri,
Paupertas, infortunia,
Angores & squalores,
Bella (mala communia)
Fames, Pestes, Timores.

84.

Huc affluxêre lacrymæ
Amaro missæ fluctu,
Planctus, Tortores animæ
Exulcerati luctu,
Sitis, Febris & macies
Et tremula senectus,
Calamitatum acies
Et Turbo est advectus.

85.

O infelices filii
Infortunati Patris!
Participes exilii,
Mei, vestræque matris!
Vos nulla infelicitas
Unquam illaqueâsset,
Ni Patrem curiositas
Pomi infatuâsset.

86.

O insolens ambitio
Quam in vos derivavi!
O misera conditio
Quam vobis concitavi!
O fatua divinitas
Quam demens appetivi.
O pestilens calliditas
Cui pronus obedivi!

87.

Ego Parens vos genui
Author infaustæ sortis!
Ego prædo enecui
Vestræ origo mortis!
Meam propter amentiam
Priùs quàm Mundo nati, *
Ad Numinis sententiam
Mortémque condemnati.

88.

Qui *Deus* esse volui,
Boni, malique gnarus,
Vix hominem retinui
Gulo frugis avarus;
Priùs perîstis Posteri,
Perire possetis

Priùs

* S. B[illegible] Gu. Miss: fo[illegible]

Priùs facti mortiferi
Quàm mori disceretis!

89.

Hinc Parricidam rectiùs
Quàm Patrem me vocate,
Aut (quod opinor justiùs)
Tyrannum compellate,
Qui innocentes vendidi
Et Cæli jus ademi, †
Vos prodidi, vos perdidi
Crudeliter peremi.

90.

Frustrà vos culpo criminis
Qui, docens vos, peccavi,
Ego medullam seminis
Tam noxii plantavi,
Ego qui manna potui
Urticas seminavi,
Propaginíque nocui,
Totámque suffocavi.

91.

Quod vestra cervix respuit
Nil concessura jugum,
Et Dei jussa renuit
Prævaricatrix legum,
Hanc inobedientiam
A Patre didicistis,
Et frontis insolentiam
Cum lacte imbibistis.

92.

Qu[illegible] [illegible]eri superbiam
[illegible]crentur,
Et mentis arrogantiam
Exosam aversentur;
Hanc meus vobis contulit,
Quo victus fui, fastus,
In quem negatus impulit
Feralis pomi pastus.

93.

Ego facem cupidinis
Accendi vitiorum,
Ego flammas voraginis
Et pœnas Inferorum,
Hoc à me patrimonium
Parente retulistis,
Hoc culpæ promptuarium
Hæredes introistis.

94.

Cæli vobis Hæreditas
Transcripta & legata,
Et à Deo felicitas
Hæc data & firmata,
Hanc bolo meus unico
Venter abligurivit,
Cùm sese *MALO PUNICO*,
Heu PUNICO! nutrivit.

95.

Magís Uxoris gratias
Pomúmque æstimavi,
Quàm Numinis Justitias,
A quibus declinavi.
Minùs Deum offendere,
Quàm Conjugis amores,
Minùs

Minùs vos omnes perdere,
Quàm guſtus & ſapores.

96.

O execrandum prandium!
Heu malum, tot malorum
Quod intulit jejunium
Tot millium annorum!
Hoc ſine, mecum lautiùs
Poſſetis epulari,
Et cum Patre ſecuriùs
Gnati delitiari.

97.

Hortus, Orbis miraculum
Tempe delitiarum,
Meum fuit cœnaculum
Theatrum epularum,
Hortus, quo nihil pulcrius,
Quo dulcius nil dari,
Nihil poteſt amœnius
Unquam excogitari:

98.

Hic totus eſt à Numine
Mihi in dotem datus,
Hic pleno juris nomine
In Regnum deſtinatus.
Veſter futurus: vetitam
Si frugem non comêſſem,
Et legem Dei debitam,
Ut par erat, explêſſem.

99.

In hoc *PATER VIVENTIUM*
DE NIHILO CREATUS
In hoc *REX ANIMANTIUM*
A Deo deſtinatus:
Et ecce, verſo nomine,
Sum PATER MORTUORUM,
Et Dominus, ex crimine
Sum SERVUS INFERORUM.

100.

In his horti divitiis
Beatus ambulabam
Innumeris delitiis
Ubertim affluebam,
Monarcha, fortis, ſapiens,
Sanus, amœnus ore,
Vt Rurſus Titan oriens
E terra concolore.

101.

Suâ cælum clementiâ
Conjugibus favebat,
Suaque ſol blanditiâ
Amœnus arridebat,
Nullo tectus velamine
Nec nubium vapore,
Sed ſudo lætus lumine
Et aureus colore.

102.

Terra florum tapetia
Ubique explicabat,
In oculorum retia
Ver florulentum ſtabat,
Suavem halabat animam
Et Crocus, & amomum,

In

In *DOMINUM & DOMINAM*
Nardus & Cinnamonum.

103.

Chorus vocalis avium
Canoris lusit modis
Delitiasque aurium
Festis sonabat odis,
Mira vocum discrimina
Concentus alternabant,
Et nota silvis carmina
In plausum accinebant.

104.

Nulla rodebant tædia
Nec animum mœrones,
Non ira, livor, odia,
Non curæ non labores.
Ipsa sese Felicitas
In sinum effundebat,
Ipsa sese Beatitas
Ubertim propinabat.

105.

Hîc poteram *ut TERREUS*
Quidam *DEUS* videri,
Et ut HOMO SIDEREUS
(Tam sapiens) haberi,
Nam campis his Elysiis
Nihil jucunditatis
NIHIL ORBIS PRIMITIIS
Deêrat felicitatis.

106.

Hanc mihi sortem Cælites *
Neo-Patri favebant,
Hortique primos hospites
Ut filios fovebant,
Sed ipsus in me lividus
Hanc mihi non favebam,
Et in me ipsum perfidus
Fortunam invidebam.

107.

Vix malè suasos ederam
Dei Contemptor fructus,
Sinistram & ad dexteram
Ingens malorum fluctus,
Et ferax luctûs Ilias
Confestim advolabat,
Patrémque · me familias
Suum adsalutabat.

108.

Hinc vestræ vitæ prodigus
Concivi vobis mortem,
Exul, à Deo profugus
Meam, vestrámq; sortem
Heu nimis serò, perditam
Tot lacrimis jam emo,
Pœnámque mihi debitam
Vobis immissam gemo.

109.

O Nati mei! capite
Vestræ leges salutis

Et

* S. Bernard: serm: 35. sup: Cant: fol. 677. lit: a.

Et meo damno sapite
In semita virtutis:
LEX SIT : PECCATUM OMNIBUS
ODISSE & FUGISSE.
PERIRE MILLE MORTIBUS
QUAM SEMEL DELIQUISSE.

110.

Hoc est quod lædit superos,
Portásque cæli claudit.
Hoc est quod pandit Inferos
Et nostris damnis plaudit.
Hoc est quod infortunia
In Orbe tot creavit,
Hoc quod turbavit omnia,
Mortéque nos damnavit.

111.

Hoc est quod nullis spatiis
Annorum terminatur,
Æternis quod suppliciis
Nunquam sat castigatur,
Hoc est malorum omnium
In Mundo repertorum
Primum, secundum, ultimum
In pœnis Damnatorum.

112.

Peccata Mundo tollite,
Et mala sustulistis:
Hæc cautiores fugite,
Et legem implevistis,
Nam præstat mille mortibus
Insontes periisse,
Quàm cum tot Dei hostibus
Vel semel peccavisse.

Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen. cap. 2. v. 17.*

MAgno meo cum dolore fateor vobis, *(a)* cùm mihi veteres occurrunt calamitates, Adamum audiens paterna domo excidisse, hominem Paradisi civem absque agricultura nutritum fuisse, absque pluvia in delitiis versatum, nihil sudoribus, aut ligone, aut laboribus,

(a S. Chrysostomus Tom: 50. in Parasceve: orat: 9. mihi fol: 1301. *Ex omni ligno &c.*

ribus, aut fatigationibus ad vitam sustendandam opus illi fuisse, arboribus gaudentem semper florentibus, à floribus in flores transeuntem, à fructibus ad fructus transilientem, usum habuisse cupiditatibus obsequentem, sæpè autem nescivisse, cui potissimùm manus injiceret præ pulcritudine eorum, quæ sese offerebant, sæpe numero tantam felicitatem deflevi, cùm eum tot bonis cernerem excidisse. Communis quippe erat calamitas, & quæ totum genus nostrum attingebat.

Hominem ad imaginem & similitudinem Dei procreatum esse, ipsa scriptura divina tradit. (*b*) Meministis, quo pacto de hoc argumento verba fecerimus, & qua ratione imprimis illud *ad imaginem*, ad hominis dominatum, & in omnes res creatas imperium referendum sit. *Similitudo* verò imaginis hujus de perfectione virtutum intelligatur: necessarium verò nunc est, ut doceamus, quo tandem modo is, qui cæteris omnibus DEI creaturis honore fuerat antelatus homo, â propria, primigeniáque divinæ formæ pulcritudine, in brutarum animantium naturam & similitudinem fuerit devolutus. Nam cùm benigni DEI imago esset, vitiis semetipsum deformavit, & sceleribus labefecit, veréque jumentis insipientibus comparatus est, & similis factus est illis. Quo verò pacto jumentis etiam insipientibus assimilatus fuerit homo, ex ipsis operibus intelligamus; nam & quæ ad Adamum

 per-

(*b* S. Joann: Chrysostomus in Gen: Tom: 5. serm: 2. mihi fol: 1522.

pertinent, omnísque eorum, qui præcesserunt, historia, non ut eos qui præcesserunt laudemus aut vituperemus lecta sunt, sed ut virtutem imitemur, & vitium declinemus. *Hæc autem*, inquit admirabilis Paulus, *scripta sunt ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Imaginem itaque ad similitudinem Dei factam, Primus Homo per inobedientiam abjecit, eámque dæmonibus proterendam permisit, brutarum animantium similitudine variâ deturpavit: atque hunc quidem ob crudelitatem, morúmque tyrannidem leonem potiùs, quàm hominem reddidit: illum autem lupum ob rapacitatem effecit. Testatur hoc scriptura, quæ sic ait: (c) *Principes vestri quasi leones rugientes, & judices vestri quasi lupi Arabiæ*: Leones appellans crudeles & tyrannidem exercentes, lupos autem rapaces ad avaritiam & prædam imminentes. Vides ùt ad imaginem Dei factus homo, in belluarum ordinem sit redactus? Quando ergo tyranni more se gerit homo, leo appellatur; quando rapax est, lupi cognomen invenit; cùm impuris libidinibus se coinquinat, & bestiarum in morem ad improba facinora præceps ruit; rursus equus invenitur homo, qui enim, inquit, (d) *amatores & emissarij facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* &c.

Vides quomodò varius sit homo, & quo pacto imago illa, quæ ad similitudinem DEI facta erat, ad belluarum similitudinem devoluta sit, non altero quopiam vim afferente, sed homine seipsum præcipitem agente?

Scri-

(c Ezech: 22. 27. (d Jerem: 5. 8.

Scriptura enim non necessitati transgressionem adscripsit, sed libero arbitrio ejus, qui honore affectus fuerat, & honorem non agnoverat: (e) *Homo quippe, inquit, cùm in honore esset, non intellexit*, &c.

Deus, (f) inquit Eccl: 15. ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem est vita & mors: bonum & malum: & quod voluerit, dabitur illi. Quid est autem: Et reliquit illum in manu consilii sui, nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrii? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset. Hac ergo per inobedientiam desolatus homo, judicio justo factus est serpenti, id est diabolo, cui maluit obedire, quàm Deo, captivus. Et ideò scriptum est: (g) *à quo enim quis superatus est, huic & servus addictus est.* Et iterum: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Quod confirmat Apostolus jam baptizatis dicens: *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ*: videlicet, alieni eratis â justitia. Per se ergo homo lapsum facere potuit, quia voluit; sed non sicut per se lapsus est, continuò â lapsu per se, id est, per propriam voluntatem consurgere valuit, nisi manu Domini misericordissima, quando ejus placuit pietati, fuisset erectus. Propter quod

 scriptum

(e Psal: 48. 13. (f S. Augustinus contra Pelagian: l. 3. c. 2.
(g 1. Petr: 2. Joann: 8 Rom: 6.

scriptum est: (b) *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Quòd si homo propriæ voluntatis virtute, & non per Dominum sibi sufficit elisus assurgere, quo in Paradisum, de quo inobediens pulsus est, Deo reconciliandus redeat; ergo Christus gratis mortuus est. Et ut quid ad sanos medicus venire voluit: vel cur se ad salvandum atque quærendum, quod perierat, venisse dixit? &c.

Adam in Paradiso positus, primò perdidit circumspectionem DEI. (i) Testatur enim Beatus Augustinus, quòd nequaquam tentator hominem de Paradiso ejecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis præcessisset, cùm verissimè scriptum sit, ante ruinam exaltatur cor. Secundò perdidit Justitiam, quando Uxoris voci plùs, quàm Divinæ, obedivit. Justitia enim est virtus, quæ suum cuique reddit. Tertiò amisit judicium, cùm post peccatum correctus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in authorem dicens: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Eisdem ergo virtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit de Paradiso. &c.

Privatus est Adam virtute, ubi eam confiteri erubuit: (k) folia, hoc est excusationem, operimenta prætendens. Siquidem ipsa dicit: qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo. Pacem quoque protinus amiserunt, quia non est pax

(b Psal: 144. (i S. Bernardus in sentent: mihi fol. 487. (k S. Bernardus serm: 1. in Annunt: B. V. M. mihi fol. 126.

pax impiis, dicit Dominus. Nónne enim contrariam legem invenerunt in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? Timui ego, inquit, eò quòd nudus essem. Non sic miser, non sic paulò ante timebas, non quærebas folia, licèt corpore nudus, sicut & modò. Et hoc sanè gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas & justitia miserum affligebant; Pax & Misericordia hujus expertes judicabant magìs esse parcendum. Sunt enim collactaneæ hæ duæ sibi, quemadmodum & priores. Unde & factum est, ut perseverantibus illis in ultione, & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præsentes molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii, illæ succederent in cor Patris, redeuntes ad Dominum, qui illas dedit, &c.

Primus Parens noster, (l) Paradisi accola constitutus est, Dominus terræ stabilitus est, civis supernæ Hierusalem designatus est, domesticus Domini factus est, cujus amore & cognitione ditatus est, consors Angelorum, frater & cohæres cælestium virtutum, nihil prorsus indigentiæ, nihil sentiens molestiæ: cui erant in promptu, quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cùm nihil esset in anima, quod offenderet, nihil in carne, quod puderet. Hic honor, & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis. Et hæc ex Deo. Sed positus in honore, quid ex se foret, non intellexit, limus videlicet, pulvis, folium aridum, stipula sicca, lutea & fragilis testa, pellis morticina: sed intumuit, & planè desipuit honoris fasti-

(l) Apud S. Bernardum in cœna Dom: mihi fol: 1678, Cujusdam.

fastigio delectatus : & continuò in se expertus est, quòd tanto tempore homo de filiis captivitatis, & prudenter advertit, & veraciter protulit, dicens : (m) *qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Væ misero, quod non fuit, qui jam tunc diceret, *quid superbis terra & cinis?* (n) Repentina igitur conversione seipsum invenit homo propter infirmitatem jacentem in stabulo. Stabulum quid est? Mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat fœno. Ea propter cibus cælestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. *Panis enim Angelorum factus est fœnum.* Unicus Patris, Filius Hominis. *Verbum quippe Caro factum est.* (o) Comedunt igitur angeli *VERBUM* de Deo natum : comedunt homines *VERBUM fœnum* factum. Pane suo vivunt Angeli in cælis & beati; fœno suo vivunt homines in terris & sancti sunt. Fœnum quippe istud de prato Virginalis uteri collectum, factum est refectio jumentorum. Verbum ut fœnum fieret, latuit in Virgine, sol in sidere, artifex in opere, &c.

Prima post Angelicæ prævaricationis ruinam Eva peccavit, (p) inquietudine spiritûs agitata, & interdicti Dominici jugum suave, & leve onus abjiciens: quoniam exspectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cætera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, sed præripere illam serpentis consilio attentavit Propter hoc Paradisum perdidit, terram delitiarum; propter hoc in ipso corpore contrariam

(m Galat: 6. (n Eccl: 10. (o Joann: 6. (p S. Bernardus in festo Omn: SS. serm. 1. circa medium mihi fol. 284.

riam legem invenit. Sed jam fortaſſis ad hanc Domini vocem deſiderio manſuetudinis æſtuas, & conquereris ſuper aſperitate cordis tui, & belluinis quibusdam motibus atque indomita feritate. Attende ergo, quod ſequitur: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Eqvum indomitum flagella domant, animam immitem contritio ſpiritûs, aſſiduitas lacrimarum. &c. Propterea beata eſſes Eva, ſi poſt culpam conſolationem quæreres lacrimarum, & converſa ad pœnitentiam veniam citiùs obtineres. Nunc autem miſerrimam quæsiſti conſolationem de ſimili caſu viri tui, & veneno peſſimo, nequiſſimo videlicet vitio, totam infeciſti poſteritatem tuam: ut usque hodie perditionem alterius, alter ſuam reputet conſolationem. Miſera prorſus Evæ conſolatio, & eorum, qui miſeriam hanc imitantur. Sed beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Adam & Eva ob peccatum de Paradiſo expulſi, ſicut Lucifer de cælo: in hac valle miſeriæ habitantes facti ſunt mortales. (q) Nam ſicut in cælo eſt, non poſſe mori, & in Paradiſo, poſſe non mori: ſic in terra eſt, non poſſe non mori, ſic in inferno eſt, ſemper mori. Ex his patet, quòd primus ſtatus hominis fuit innocentiæ: ſecundus gratiæ: tertius culpæ: quartus pœnitentiæ: quintus gloriæ: Dum enim inordinatè erexit ſe ſupra ſe, cecidit miſerabiliter infra ſe: ſcilicet â ſtatu innocentiæ & gratiæ, in ſtatum culpæ & miſeriæ. Itèm, quia factus eſt inobediens ſuo ſuperiori

(q S. Bonavent: compend: Theol: verit: cap. 65.

periori, justo Dei judicio factum est, ut sibi fieret inobediens suum inferius, scilicet caro &c.

Miramur primos omnium parentes ob malum unicum admorsum, supplicio tam gravi affectos. (r) Quis enim Diocletianus, aut Phalaris, ob pauculas ficus, aut aliquot flosculos, aut unicum pomum, mille homines in crucem rapuit? Cur igitur Deus, non mille homines, sed innumeros hominum milliones æternæ mortis damnavit? ob arbusculam unam, non solo excisam, sed pomo privatam, & quidem unico? Puerile præceptum, inquit, Theodoretus, & infantibus conveniens videri potuisset illud: (s) De ligno hoc ne comedas. Cur ergo tam diuturna severitate punitur transgressio? Meritò sanè, quòd imperium hoc expeditissimum, & ne pueris difficile, detrectaverint tamen Protoplasti: Si grandia Deus, & difficilia imperâsset, habuissent, quo culpam purgassent. At verò, cùm illis amœnissima libertas in omnes Paradisi arbores esset, exceptâ unicâ, facinus fuit intolerabile, & tanto supplicio dignum, nec ab hac quidem unica tam seriò vetita velle manus abstinere. Hinc jam liquet, quàm Deus & illos detestetur, qui gloriam, quam sibi unam vult deberi, iniquissimè præreptum eunt! (t) odit Deus omnes vitiosos, sed superbis & arrogantibus etiam resistit, quos videlicet infecit vitium idololatriæ cognatum. Pro teste stat veritas: &, *quomodo*, inquit, *vos potestis credere, qui gloriam ab invicem*

(r Hierem: Drexelius de recta intentione lib. 2. c. 5. §. 3. (s Serm. 10. de Provid. Gen: 2. v. 7. (t Jacob. 4. v. 6. Joann. 5. v. 44.

nem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? &c.

Apostrophe Adam Lamentantis ad Nepotes suos.

O Filii, felices futuri, si parens vester scivisset felicitate uti: nunc verò miseri hoc ipso quòd mei filii: ego vos necavi priùs quàm genui: propter me ante damnati estis, quàm nati: Deus esse volui, vix homo mansi: omnes in me periistis, antequam perire possetis: ita nescio, patrem me appelletis, an parricidam & tyrannum: vitiosos vos esse quid miror, aut conqueror? â me tales esse didicistis: inobedientes vos esse doleo, sed tamen esse docui, ipse Deo inobediens: intemperantes & gulosos vos aversantur superi: ah paternum hoc est vitium: superbia vestra exosos vos Deo facit; ego primus vestrûm ab hoc monstro triumphatus cecidi, factáq; est superbia â me victo superbior: hoc â me patrimonium habetis, miseriarum cumulum, cælum vobis magni Dei nutu transcriptum erat, & legatum certissima sponsione: ego turbavi omnia, & hæreditatem omnium vestrum abligurivi bolo unico: Uxorem & pomum pluris ego feci: quàm vos omnes, quàm cælum, quàm DEUM. Hem malum & execrandum prandium, post quod aliquot millibus annorum, mihi cœnandum fuit apud inferos? In horto degebam, suprà quàm cogitari & fingi potest amœno: omnibus quæ animo collibuissent, frui ibidem licebat, unicam si stirpem declinâssem. Omnium animantium

(a Hierem: Drexelius consid: 9. de æternit: num. 2. mihi fol. 19.

Rex eram, sapiens & pulcer, valens & robustus: delitiis innumeris affluebam; Cælum æquabili clementia novis conjugibus favebat, & in cærulea veste nitidum, continuè ridebat, soles nonnisi purissimos illic vidimus, nil nisi amœnum & floridum incurrebat oculos: aures suos habebant musicos, aviculas; terra crocum & cinnamomum halabat: undique me voluptas incredibilis ambiebat; vivebam procul omni cura, tædio, metu, labore, morbo, morte; Deus aliquis eram in terra, hanc felicitatem cælites mihi ipsi gratulabantur; ego unus eam mihi maximè invidebam; & quia divinæ legi non parui, & vetitum malum admordi, omnia in me mala irruerunt; Paradiso exturbatus, à Deo profugus, pudore plenus latebras captavi. Labor, dolor, mœror, pavor, lacrimæ, calamitates, mille miseriæ fatigare me cœperunt; vos sentitis, quotquot ex mea familia estis, & quod finis ærumnarum esse creditur, mors; sæpè est initium, & quidem æternarum. O mei filii, meo, vestróque damno sapite, & vel unum hoc à me discite PECCATUM ODISSE. En prorumpentem juxta me flammam: hæc eodem, quo peccatum, tempore cœpit urere, nunquam in æternum extinguenda; omnia alia supplicia in levi ponenda sunt, & brevi finiuntur, hæc reos semper cruciabit. Sed eam evadere jam possumus, modò ipsi velimus. Ultra quinque millia annorum, mihi meisque liberis omnibus porta cæli occlusa fuit; nunc reserata est per illum, qui, quod ego liber malè rapui ex arbore, ipse fixus in arbore totum liberalissimè exsolvit, & nobis omnibus *moriendo restituit rem.* Cunctis jam cælum patet, sed

ſed eò non inducit niſi via pœnitentiæ, non admittit niſi porta crucis! qui hac viâ, & per hanc portam venit ad gaudia, ſecurus venit, & certus habitationis æternæ, non excludetur illinc ampliùs: nemo illic lædi poteſt aut lædere. O Poſteri ÆTERNITATEM COGITATE, breví immortales futuri, aut inter damnatos, aut inter beatos. Hæc ad POSTEROS monita ſunt Adami, qui

Quam meruit pœnam ſolus digeſſit in omnes.

REX DAVID POENITENS,

Typus Monarcharum, Regum, & Principum delinquentium, & crimina deflentium.

S. Ambroſius Ep. de Apologia David. lib. 1. cap. 2.

UNusquisque noſtrum per ſingulas horas, quàm multa delinquit, nec tamen unusquisque de plebe peccatum ſuum confitendum putat. Ille Rex tantus, ac potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam: ſed præmaturâ confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino. Quem mihi nunc facilè

cilè reperias honoratum ac divitem , qui si arguatur alicujus culpæ reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, cùm à privato homine corriperetur, quòd graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi movit affectûs, ut Nathan diceret: Quoniam pœnituit te: & Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam Regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alii homines, cùm à sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt, aut defendere; ibique eorum lapsus est major, ubi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina; ut non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulâsse. Peccavit David, quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit ingemuit, quod non solent Reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod pec-

cavit

cavit, conditionis est, quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse naturæ est: diluisse virtutis.

1.

PEccavi! quo me oculi
Fecistis avolare?
O oculi! O scopuli!
In quod mersistis mare?
Vos, vos, amoris spicula!
In cautum vulnerâstis,
Cùm de Palatj specula
Uriadem amâstis!

2.

O meæ frontis *Sidera*!
Quàm turpiter *errâstis*!
In quæ malorum barathra
Incautum deturbâstis!
In meam vos perniciem
Juratò conspirâstis,
Mollem ultrò blanditiem
Cùm spontè invitâstis.

3.

Vestrum munus, & statio
Fuit pervigilare,
Et quod dictabat ratio
Solicitè curare,
Ne *PEREGRINUS* atrium
Furtivus subintraret,
Et *Advena* Palatium
Hoc, Animæ, turbaret.

4.

Ast vos. Hero fœdifragi
Deserta statione
Extra castrum circum vagi
Turpi defectione.
Viam pandistis hostibus,
Et claustra reserâstis,
Portísque bipatentibus
Rebelles vos probâstis.

5.

Ah! pro commisso munere
Quàm perditè fecistis!
Me hostibus pro fœnore
Tam vili perdidistis!
O oculi! O pessimi
Castelli defensores!
O Regis vestri (*Animi*)
Dolosi Proditores.

6.

O oculi cupidinum
Rivales incentores!
O oculi libidinum
Vafri Procuratores!
O oculi! O stimuli!
O fomites malorum!
O loculi! O tumuli!
Heroum tot Magnorum!

7. Sam-

(a 2. Reg: 11.

7.
Samsonem quis fortissimum
Captivum vinculavit? (b)
Heroëm invictissimum
Quis fœdùm depilavit?
Victorem felicissimum
Quis oculis privavit?
Quis mancipem miserrimum
Et cæcum jugulavit?

8.
Vos, vos, lascivi oculi,
Cùm Dalilam amâstis!
Et speciem prostibuli
Formámque adorâstis!
Vos Israëlis gloriam
Et robur perdidistis!
Vos defensore Patriam
Et Patre spoliastis.

9.
O fures Innocentiæ,
Modestiæ prædones!
Lenones pudicitiæ,
Formæ castæ mangones!
Ignes vagi luxuriæ,
Superbiæ magistri,
Iræ, & avaritiæ,
Invidiæ, ministri!

10.
Antesignani hostium,
Et prodromi damnorum,
Illecebrarum ostium
Canales peccatorum,
Urentia vos specula,
Vos Pharetræ amorum,
Vos venenata spicula,
Magnetes animorum!

11.
Ah quanti Curiositas
Unius Dinæ stetit? (c)
Cùm levis Sichemitidas
Videre nurus petjt?
Vidit: & vidit Virginis
Princeps Sichem decorem,
Raptæque vi libidinis
Prostituit pudorem.

12.
Quantùm puellas nocuit
Vidisse alienas?
Quantas Jacob exercuit
In Urbe Lanienas?
Ulti Pater cum filiis
Injuriam sororis,
Et convasatis spoliis
Testati vim doloris!

13.
Adulteræ cor ignibus (d)
In Joseph incendistis,
Et impudicis manibus
Vi pallium tulistis!
vos Innocentem carceris
Ergastulo clausistis,
Castúmque grandis sceleris
Culpabilem fecistis.

14. Vos

(b Judic: 14. 15. 16. (c Gen: 34. (d Gen: 39.

14.
Vos Venatores mentium
Et Aucupes dolosi,
Incantatores cordium
Proci delitiosi.
Vos poli, quorum cardine
Mors, vitáque rotatur,
Et salus in discrimine
Et lubrico versatur.

15.
Vos basilisci unico
Virus afflatis nictu,
Vos astu, plusquam Punico
Uno necatis ictu,
Vos velut duo fulgura
Ad ima penetratis,
Et cataphracta pectora
Momento sauciatis.

16.
Cùm solus post meridiem
Spectarem otiosus (e)
Urbis subjectæ faciem
Hortósque curiosus,
Inter florum vivaria
Sagittas evibrâstis,
Intérque viridaria
Remotum vulnerâstis.

17.
In regio solario (f)
Securè ambulanti,
Repentè de pomario
Nil tale cogitanti,
Ignes ex ipsis fontibus
Cupidinis jecistis,
Purámque mentem fontibus
Culpis interemistis.

18.
Quantùm vidisse nocuit (g)
Mulierem lavantem!
Damno meo me docuit
Infamiter amantem,
Ictus vel unus oculi
Incautè quem vibravi,
Qui fuit instar jaculi
Quo me, *Illámque* stravi.

19.
Sic Cypridis Rex subditus,
Mancipium amoris,
Turpis reus concubitûs
Et Paphii furoris!
Crimen conjunxit crimini
Non parcens Innocenti
Uriæ, David Sangvini (h)
Pro Rege dimicanti.

20.
Heu! quanta nocte lumina
Quantáque nube tecta?
In sua cæca crimina
Peste stygis infecta!
Apertis nihil oculis
Quid agerem videbam,
Et quantis in periculis
Forem, non sentiebam!

21. Ah

(e 2. Reg: 11. (f ibid. (g ibid. (h 2. Reg: 11.

21.

Ah serò te cognoveram
Serò te lumen verum!
Nam totus cæcutiveram
In vanitate rerum,
Sic, ut solem justitiæ
Et lumen veritatis
Nox raperet malitiæ,
Et nubes pravitatis!

22.

Tenebræ sunt Cimmeriæ
Luminibus offusæ!
Meridiéque Phariæ
Nubes menti obtrusæ,
Ceu media Andabata
In nocte ambulabam.
Et quæ inter phantasmata
Errarem, non notabam.

23.

Nox nubila, nox squalida,
Nox horrida premebat,
Caligo tetra, lurida
Splendorem adimebat,
Magnúmque cæli oculum
Divinitûs lucentem
Clausit, ut totum nubilum
Sentirem *ORIENTEM*.

24.

Quin adhuc hanc caliginem
Noctémque diligebam,
Nec animi fuliginem
Insanus sentiebam,
Cæcus eram, & stolidam
Amabam cæcitatem,
Et tenebrarum horridam
In corde densitatem.

25.

Væ malè lapso tempori!
Quo te non cognoscebam!
Væ cæco vultûs sideri
Quando te non videbam!
Væ stultæ ignorantiæ!
Væ reæ cæcitati!
Superbiæ! Lasciviæ!
Turpi crudelitati!

26.

Hæc nempe mentem crimina
Atra nube texerunt,
Hæc tenebras in lumina
Profundas invexerunt!
Hæc spissam in caliginem
In fraudes & errores,
Hæc caput in vertiginem
Duxerunt, & terrores.

27.

Hæc animæ dementiam
Ceu virus afflavêre:
Hæc crisin, hæc prudentiam
Hæc sensus prostravêre,
Hæc Dei reverentiam
Et cultum minuêre,
Hæc longo conscientiam
Veterno sopivêre.

28. Hæc.

28.
Hæc, rationis nebulâ
Lumen obfuscavêre,
Longáque velut crapulâ
Sepultum tenuêre,
Ad crimen hæc de crimine
Gradus fabricavêre,
Nulláque me formidine
Peccantem affecêre.

29.
Impunè quia Regibus;
Audacter & delinquunt;
Et fastiditis legibus
Supra vulgus præsumunt,
Pro regia libidine
Peccant & potestate,
Nulla pœnæ formidine
Ducti, nec honestate.

30.
Effrons est verecundia,
Quam Dignitas tuetur;
Indemnis est audacia,
Quæ sceptro sustinetur,
Læsa silet Religio
Polluta sub corona,
Nulla throni subjectio
Est Regis in persona.

31.
Hæc ut persuasus crederem
Ambitio instruxit,
Et ut Exlex delinquerem
Majestas me induxit,
Dei Timorem, Passio
Amoris profligavit,
Et sceleris confusio
Uriam ferro stravit.

32.
Sic reus adulterii
Nec reum me videbam,
Pudebat nec opprobrii,
Quod nullum agnoscebam,
Et licet homicidium
Audirem innocentis,
Nullum tamen judicium
Occurrit pœnitentis.

33.
Mei securus, Numinis
Non ferulam verebar,
Patrati neque criminis
Ullius, sontem rebar,
Tot noxis execrabilem
Meam non sensi sortem,
Donec Nathan damnabilem
Annunciaret mortem. *(i)*

34.
Tunc velut inter somnia
A somno excitatus
Severa sensi omnia,
Et duplices reatus,
Adulteri libidines,
Cædémque innocentis,
Deíque, ob cupidines,
Flagellum ferientis.

(i 2. Reg: 12,

35.

Oviculam tunc pauperis (k)
Occisam intellexi,
A Divite me, hospitis
Novi, datam orexi,
Prophetæ per parabolam
Me reum designari
Justamque in me ferulam
Virgamque colligari.

36.

Quot lacrimis piaculum
Tam grande deploravi?
Quod in totius scandalum
Rex Regni perpetravi?
Ah utinam ploratibus
Tot, memor institissem,
Et novis me reatibus
Nocentem non fecissem!

37.

Dementia, dementiam
Et error, est errorem
Sequutus, cùm Potentiam
Et populi valorem (l)
Et numerum ad calculos
Mandavi revocari,
Et Regionum circulos
In censum computari.

38.

Ast cùm delicti noscerem (m)
Admissi gravitatem,
Tandemque contremiscerem
Ad culpæ fœditatem,
Transire quidem petii
A me iniquitatem,
Tui supplex judicii
Precatus Bonitatem.

39.

Tunc per Prophetam optio
Gad, data est pœnarum, (n
Et de tribus electio
In me deputandarum;
Una, qua reus cæderer
Paterno Rex flagello,
Et objurgatus plecterer
Fame, peste, aut bello. (o)

40.

Cùm penès me eligere
Staret, tuas in manus
Est meliùs incidere
Quàm me plectat humanus
Furor, O Deus! dixeram,
A te præstat feriri,
Quàm insolentis dexteram
Mortalis experiri.

41.

Dixi: & tu me supplicem
Confestim exaudisti,
Aligerumque vindicem
Armatum expedisti,
Acinacem qui stringeret
Et Populum feriret,
Regique reo parceret,
Qui justiùs periret.

42. De

(k 2. Reg 12. (l 2. Reg. 24. (m ibid. (n ibid. (o ibid.

42.

De Israël quid millia (p)
Virorum octingenta
Et pugnatorum millia
De Juda quinquaginta?
Velut oves quid profuit
Examinatas scire?
Nisi (quod Numen statuit)
Tot millia perire?

43.

Ah stultè egi nimiùm
Stultissimus virorum,
O improbum flagitium
Votorum nefandorum!
Infausta hæc consilia,
Quæ Populum straverunt,
Septuaginta milla
Virorum perierunt.

44.

Hos insolens Ambitio
Ut oves jugulavit,
Hos animi Elatio
Superbiæ litavit,
Hæc sanguinis profusio
Vindictam in me clamat,
Justáque me culpatio
In parem mortem damnat.

45.

Nihil tot innocentium
Effusus sanguis fecit,
Meus, hos in exitium
Tam flebile conjecit,
In me debebat judicis
Sententia sævire,
Me manus æqua judicis
Pro merito ferire.

46.

Ego sum, qui peccaveram,
Ego qui malum feci!
Ego in mortis pharetram
Tot animas conjeci!
Ego septuagesies
Dignissimus damnari,
Ego pro plebe millies
Insonte, immolari.

47.

Peccavi! nocens Numini!
Tot delictorum reus!
Solis apertus lumini
Reatus patet meus!
Quod clam carnis nequitia
Et homicida fecit,
Divina hoc justitia
Orbis famæ subjecit.

48.

Peccavi! heu immanibus
In Dominum delictis!
Et ingratitudinibus
In Patris cor inflictis!
Indignus tantis gratiis,
Queîs turpiter abusus,
Nunc pro tot beneficiis
Rubore sum confusus!

(p 2. Reg. 24.

49.

Quid potuit tribuere,
Quod non attribuisset?
In preces non annuere,
In quas non annuisset?
De ovium Pastorculo (q)
Pro Sâule fecit Regem,
Suo minantem baculo
In pingues campos gregem.

50.

Ut molem grandem sternerem *
Gigantem Philistæum,
Ferróque interimerem,
Hoc opus non est meum!
In funda & in Lapide
Ut victor eminerem,
Et in machæræ cuspide
Hostile caput ferrem.

51.

Tua fecit potentia,
Et dextera prostravit,
Tua fecit Clementia,
Quæ puerum amavit,
Hac pauperem de stercore
Et sordibus levavit
Servumque, Regis decore
Immeritum ornavit.

52.

Hæc abstulit formidinem, (r)
Leones ut necarem;
Hæc dedit fortitudinem,
Ut ursos suffocarem;
Hæc pro pedo, & gregibus (s
Regni sceptrum porrexit,
Pro petaso, cum Regibus
Ad thronum me evexit.

53.

Hæc formidandum hostibus
Bellisque gloriosum
Præfecit exercitibus
Stratis victoriosum,
Direxit hæc consilia,
Processus, & conflictus,
Arma stravit hostilia,
Omnésque mortis ictus.

54.

Hæc tribuit delitias,
Honore me beavit,
Hæc addidit divitias, (t)
Opésque cumulavit,
Bis mille millionibus
Hæc auri quadringentos
Adjunxit Gazis omnibus (u)
A Filio inventos.

55.

Hæc dedit sapientiam
Ad sceptra & coronam,
Hæc ad vires prudentiam
Mentémq; boni pronam;
Judicium ut gentibus
Jura, legésque darem,
Ut

(q 1. Reg. 16. ibid. 17. ibid. 17. * ibid. (r 1. Reg. 17. (s 2. Reg. 2. (t Cornel. à lap. in cap. 38. Exod. (u Hierem: Drexel: aurif: p. 3. c. 1. fol. 771.

Ut hoſtibus frementibus
Par cunctis malis ſtarem.

56.

Et has benigno Numini
Ingrate, grates pendis?
Qui Majeſtatem Domini
Pro voluptate vendis?
Qui toties cum hoſtibus
Pro te ſalvo conflixit,
Ammonitarum enſibus
Per te Urias vixit?

57.

Sic polluiſti ſanguine
Coronam innocente?
Sic purpuram libidine
Thorúmque impotente?
Audin? ut lecti fœdera
Disrupta Fides gemat?
Audin? ut clament vulnera,
Et mors vindictam fremat?

58.

Audin? ut terra ſanguine
Imbuta tot virorum,
Plectente plebem Numine,
Pro te interemptorum
Tuam culpet ſuperbiam,
Faſtúmque inſolentem,
Potentiæ jactantiam
Cenſus præcipientem?

59.

Agnoſco crimen! pœnitet!
Heu me! Deus! *Peccavi?*
Cur dextra fulmen detinet,
Quod in me concitavi?
Si plectas virum Sangvinum,
Quis contra te queratur?
Lenonem ſi libidinum,
Quis tibi obloquatur?

60.

Poſthac panem cineribus (x
Inſperſis manducabo,
Potúmque mixtum fletibus
Uberibus potabo,
Et lacrimis perennibus (y)
Stratum vigil rigabo,
Et jugibus doloribus
Has culpas deplorabo.

61.

Sic in inſipientia
Mea, cor conturbatum, (z)
Et præ mentis anguſtia
Contabuit ſiccatum.
Virtus mea exaruit (†)
In pulverem dolorum,
Et lumen me deſtituit
Meorum oculorum.

62.

Deſipui ſtultiſſimus,
Cùm Deum dereliqui,

(x Pſal: 101. (y Pſal: 6. (z Pſal: 37. (a ibid.

Hic error fuit maximus,
In *Illum* cùm deliqui,
Hæc maxima stultitia,
Quâ non feci majorem
In Regno, ex malitia
Cùm læsi Creatorem.

63.

Lex prima sapientiæ (b)
Est, Dominum timere,
Ars altera prudentiæ,
A malo abstinere,
Timorem quisquis exuit,
Et Domini Amorem,
Stultitiam hic induit,
Et animi furorem.

64.

Hic furor me insaniâ
Suâ infatuavit,
Et lapsum ad infamia
Quæquæ præcipitavit,
Amor, Honórque Numinis,
Timórque periêre,
Horror, Pudórque criminis
Nil frugis habuêre.

65.

Ceritus, cælo prætuli
Terrenas vanitates,
Spretáque lege, sæculi
Lascivi voluptates,
Præ sanitate vulnera
Elegi & vibices,
Hinc tubera, hinc ulcera,
Hinc fœdæ cicatrices.

66.

Non est in carne sanitas (c)
Mea, nec valetudo.
Est sanies, est fœditas,
Et gravis ægritudo,
Non est Pax meis ossibus
A facie meorum,
Quæ tot patravi vicibus
Insanus, *peccatorum*.

67.

Quin cicatrices Sangvine (d)
Corrupto putruêre,
Et puris â gravedine
Fœdùm verminavêre,
Mephytis purulentiæ
Gravem sparsit odorem,
Et nex insipientiæ
In facie lurorem.

68.

Miser, ac miserabilis (e)
Sum factus, & curvatus
Usque in finem: humilis,
Totáque contristatus
Die, nullo solatio
Fultus *ingrediebar*;
Compunctus cor, supplicio
Jugi conficiebar.

69. Nam

(*b* Proverb: 1. & 9. Psal: 119. (*c* Psal: 37. (*d* ibid. (*e* ibid.

69.

Nam sunt illusionibus (*f*)
Lumbi mei repleti,
Sunt pleni cruciatibus
Languo[illegible]que Lethi,
Non est in carne sanitas ,
Nec in medullis vigor,
In animo anxietas,
In cunctis membris rigor.

70.

Humiliatus Spiritu ,
Et afflictus gemebam,
A cordis mei gemitu
Contritus rugiebam,
Tu Domine suspirium , (*g*)
Tu nosti mentis vota ,
Tu meum desiderium ,
Arcana cordis tota.

71.

A te non est absconditus. (*h*)
Quem cunctis clam, laxavi
Te solo teste , *gemitus*
Et flens ingeminavi ,
Tu solus mei pectoris
Abscondita scrutaris ,
Meíque sinus corporis
Perlustras & rimaris.

72.

Te nihil latet : omnium
Tu gnarus secretorum ,
Te penes est scrutinium
Meorum delictorum ,
Tu vides quæ præterita,
Tu vides & futura ,
Demerita , & merita
In tua creatura.

73.

Tu me vidisti *Parvulum*
Patris oves pascentem ,
Inter greges puerulum
Jocari innocentem:
Sed & Regem in solio
Regentem & peccantem ,
Nunc intimo cordolio
Flentem & deprecantem.

74.

In tuo me non arguas (*i*)
(Ut merui) *furore!*
In ira nec corripias,
Nec perdas amarore, (*k*)
Nec intres in judicium
Cum servo delinquente ,
Nec meritum supplicium
Sumas de promerente.

75.

Nam quis vivens te judice (*l*)
Potest justificari !
Quis peccatorum vindice
Te , reus excusari ?

 Sepo-

(*f* Psal : 37. (*g* ibid. (*h* ibid. (*i* ibid. (*k* Psal, 142. (*l* ibid.

Sepone nomen *Præsidis*
Irâ exacerbati,
Assume partes *Principis*,
Et mitis *Advocati*.

76.

Ante te conscientia
Nullius, labe caret,
Nec ulla innocentia
Sat innocens apparet,
Tua sunt sole lumina
Stellísque clariora,
Quæ penetrant velamina
Mentis secretiora.

77.

Ante tuam est faciem
Nullus cordis velatus,
Tuam non latet aciem
Nec atomi reatus, *(m)*
Si nostras observaveris
Iniquitates, Deus,
Et ad bilancem miseris,
Quis sustinebit reus?

78.

Paterna sed clementia
Nostras infirmitates,
Et mitis indulgentia
Novit fragilitates;
Novit massam de pulvere,
Et luto efformatam,
Et hinc propensam ruere
In culpæ pravitatem.

79.

Ah ergo *mansuetudinis*
Tuæ, pius *memento!*
Primæque lenitudinis!
Tibi sit argumento,
Et Abrahæ fidelitas,
Et Isaâc promptitudo,
Et Jacobæa sanctitas,
Tuaque Magnitudo!

80.

Ah! Non sit tuus vindices
Tantus furor in iras!
Ut condemnatum judices
Ad enses, rotas, pyras!
Meóque luam sanguine
Commissum in te crimen,
Et tu nullo placamine
Reo addas lenimen!

81.

Quot acerbatus vicibus
Tuis tamen dedisti
Placatus vitam hostibus,
Et culpam pepercisti?
Quin præter culpæ veniam,
Et oblitos errores,
Adhuc donâsti gratiam,
Et cælicos favores!

82.

Est nempè tibi proprium
Est pronum Condolere!

Et

(m Psal. 129.

Et parcere opprobrium
Et noxas abolere!
Tua non sitit dextera
Nec cædes, nec cruores,
Sed tuæ pacis fædera
Sunt Amor, & dolores.

83.

Quis ergo dabit capiti
Meo fontes aquarum?
Quis eliquando vertici
Torrentes lacrimarum?
Ut meas noxas noctibus
Diebus & deplorem?
Et sinum meum fletibus
Perpetuis irrorem?

84.

Nec solæ fluant lacrimæ,
Nec oculorum rores!
Audi! gementis animæ
Et intimos clamores!
Audi! quantis mœroribus
Sub lacrimarum undis.
Ad te gemam manantibus,
Et clamem de Profundis. (n)

85.

Profundo in discrimine
Clamavi, & clamabo!
Multiplici de crimine
Accusans accusabo!
Exaudi pronis auribus
Vocem ad te gementis!

Intende meis precibus
Et jugibus lamentis!

86.

Ad trutinam Justitiæ
Si mea facta pendas,
Nihílque des Clementiæ
Sed jure cuncta vendas?
Meâ me causâ cadere,
Est oppidò necessùm
Et victum juris perdere
Te judice Processum,

87.

Nam cujus eloquentia
Est copiæ tam raræ,
Tecum ut excellentiâ
Vocis ausit certare?
Loquente te, vox frangitur,
Et linguæ vis hebescit:
Balbutiénsque labitur,
Hæret, & infantescit.

88.

Omne verbum, *oraculum*
Et Lex irrevocanda,
Quam nullum mutet sæculũ,
Nec dies terminanda!
Tua non potest æquitas,
Statutum nec mutari,
Nec reprobari veritas,
Nec forum irritari,

(n Psalm: 129.

89.
Semel dicta sententia
Stat, & stabit immota!
Sed & tua Clementia
Utrique Mundo nota,
Tuáque, quæ censoriam
Virgam manus minatur,
Hæc eadem fert oleam,
Et pacem stipulatur.

90.
Mite tibi ingenium
Abominatur pœnam,
Propensiùs in præmium,
Manúmque donis plenam.
Ast cùm irasci cogitur,
Et in reos sævire,
Cor gemitu concutitur,
Dolétque se punire.

91.
Invitus justum rariùs
Vindex sumit flagellum,
Cùm Homo temerarius
Indicit Deo bellum,
Delinquit ille centies,
Vix semel flagrum sonat,
Et supplicat is quoties,
Hic toties condonat.

92.
Cùm plectis, tantùm ingemis,
Ceu ipse plectereris,
Ad nomen pœnæ contremis
Ceu pœnam merereris,
Ipse rei supplicium
Ceu tuum mœstus sentis,
Nec hominis exitium,
Nec mortem vis merentis.

93.
Sit licèt *super omnia*
Quæ opera patrâsti
Tua misericordia
Quam mundo demonstrâsti,
Qua lapsis indulgentiam
Et veniam dedisti,
Et gratiæ frequentiam
Afflictis præstitisti.

94.
Sed justus tamen sontibus
Severè reos plectis,
Nil mansuetudo legibus
Præjudicat decretis,
Pari pendet libramine
Lanx utraque libellæ,
Ut nullo se discrimine
Anteferant scutellæ.

95.
Nil datur hic affectibus,
Nil artibus mundanis,
Conceditur respectibus
Nil penitùs humanis.
Te nulla suaviloquia,
Nec molles linguæ pacant,
Fucata nec obsequia
Nec sponsiones placant.

96. Nulla

96.

Nulla vincit facundiæ
Vis, nec flos oratorum,
Nec Suada Eloquentiæ,
Nec ars Causidicorum,
Nec litis Protestatio,
Nil lex injuriarum,
Nec fori Appellatio,
Nil Replica causarum.

97.

Nullæ preces, nec pretia,
Nec fraudium commenta,
Nec animorum retia
Mellita blandimenta,
Nec Opes, nassæ cordium,
Iustitiæ catenæ,
Nec viscus Tribunalium
Auro crumenæ plenæ.

98.

Hoc foro nulla venditur
Causa pendens argento,
In annos nec suspenditur
Doloso vaframento,
Reus convictus plectitur
Decretâ pœnæ horâ,
Aut innocens absolvitur
Non interruptâ morâ.

99.

Semel data sententia
Stat firma, immutanda,
Hic nulla Indulgentia
A judice speranda,
C, scriptam fronti litteram
(Nigræ notam tabellæ)
Hanc nullus tollet tesseram
Paragraphus Novellæ.

100.

Non retractatur Curiæ
Decretum, nec Effatum,
Culpatur nec injuriæ
Tabellis contestatum,
Quod semel declaratum est,
Prætore publicante,
Sancitum sacrosanctum est,
Firmatum adamante.

101.

Te penes stat consilium
Donare, vel ferire,
Si perdere vis filium
Æternùm & perire,
In tua stat potentia
Mortis statutum ferre,
Sed Patris est Clementia
Audire *Miserere*. (*o*)

102.

Appello Patrem! filium
Audis ad te clamantem?
Audis? ad tuum solium
Afflictum suspirantem?
Audis? misericordiam
Prostratus ùt imploret?
Audis? rubore veniam
Confusus ùt exoret?

103. *Est*

(*o* Psal. 50.

103.

Est multa miseratio (*p*)
In veniam delicti,
Sed est & consolatio
Patris nomen, afflicti,
Iniquitatem, gratia
Delere potest Rei,
Tua namque clementia
Asylum habet spei.

104.

Non unda tibi deficit,
Non rivus, flumen, mare,
Ut noxam, quæ me inficit (*q*
Lotam possit mundare,
Tu potes immunditiam
Nævum, *iniquitatem*,
Cordis lutum, spurcitiam,
Purgare fœditatem.

105.

Delictum non diffiteor, (*r*)
Grandem culpam *agnosco*,
Intus ab hoste torqueor,
Et memet erubesco,
Obtrudit conscientia
Delictum, *quod patravi*,
Et clamat, O Justitia
Tibi soli peccavi!

106.

Heu, tot turpitudinibus (*s*)
Malum coram te feci!
Tu justus in sermonibus
Me tamen non das neci,
Sed tuis in justitiis
Semper justificaris,
Et vincis, *cùm judiciis*
Reorum judicaris.

107.

Tu scis vitæ originem,
Nosti Nativitatem,
Peccati scaturiginem
Matrísque pravitatem, (*t*)
In his conceptus sordui,
In his malum momordi,
In his venenum sorbui,
Mortemque fixi cordi.

108.

Non celo crimen: fœditas
Noxæ mundo pandatur,
Dilecta Deo veritas
In cælum efferatur, (*u*)
Occulta sapientiæ
Mihi manifestâsti,
Incerta & scientiæ
Tuæ in me patrâsti.

109.

Hyssopi me aspergine
Dignare, *& mundabor*,
Si laveris me polline
Plus nive dealbabor,
Dabis auri lætitiam,
Ut vox resultet grata,
Tunc exuent mœstitiam
Ossa humiliata.

110. *Tu*

(*p* Psal. 50. (*q* ibid. (*r* ibid. (*s* ibid. (*t* ibid. (*u* Ibid.

110.

Tu qui de cæli ſpecula
Abyſſos intueris,
Quem nulla latet macula,
Quin cuncta arbitreris,
A culpis verte lumina (x)
Et faciem averte,
Reique dele crimina,
Æternum ne me perde.

111.

Tu qui cælos, & ſidera
Verbo terram fundâſti,
Ignem, aquas, & æthera
De nihilo creâſti,
Tuâ in me potentiâ
Cor rurſus crea mundum,
Omnémque â ſpurcitia (y)
Cordis emunda fundum.

112.

Primo Mundi Miraculo, (z)
Qui *ſpiritum* dediſti,
Oris tui ſpiraculo
Mentémque indidiſti,
Hunc iterum viſceribus (a)
Immitte renovatum,
Ut liber â ſceleribus
Omnem vitem reatum.

113.

Ab oculorum acie (b)
Ne me, ut Cäin, pelle,
Nec â paterna facie
Ut hoſtem me avelle,
Sed *Spiritum*, quem dederas,
Sanctum, plenus amore,
Hunc *ne receptum auferas*,
Culpæ tactus dolore.

114.

Quem grande crimen fecerat
Cordis triſtem mœrore,
Et undique repleverat
Afflictum amarore,
Huic tu *redde lætitiam*
Favoris *Salutaris*, (c)
Et Spiritûs mi gratiam
Confirma principalis.

115.

Huc usque qui â legibus
Deſcivi mandatorum,
Nunc Doctor ero rudibus (d)
Tuorum præceptorum,
Vias docebo impios,
Ut ad te convertantur,
Erudiámque inſcios,
Ut rectum doceantur.

116.

Tu quoque *Reum Sangvinis*
Cedisque innocentis,
Fac liberum, nec criminis (e)
Memento inſolentis,

Tune

(x Pſal. 50. (y ibid. (z Homini. (a ibid. (b ibid. (c ibid.
(d ibid. (e ibid.

Tunc undique justitiam
Os meum exultabit,
Tuámque lingua gloriam
Jugè cantans cantabit.

117.

Tu qui linguas infantium
Verbo facis disertas,
Et in ora lactentium
Laudes tuas insertas.
Hæc labia aperies
Ut tua laus cantetur,
Et gratiarum series
Ubique propaletur.

118.

Si Hecatombis crederem (f)
Iras posse placari,
Oves, bovésque caderem
Pro noxis immolari,
Sed mens tua non flectitur
Ab hostiis exustis,
Nec adeps sacer petitur
Ab animantûm bustis.

119.

Non amat Sacrificia
Deus morticinorum,
Nec illum placat hostia
Taurorum vel hircorum,
Sed Spiritûs Hic respicit
Munus contribulati, (g)
Nec cordis, sibi despicit
Donum *humiliati.*

120.

O Deus! qui es Bonitas,
Fons ipsus Bonitatis!
Memento! quæ calamitas
Sit Sion vastitatis! (h)
Accumula divitiis
Hanc, ut locupletetur,
Et Solyma novitiis
Murus ædificetur.

121.

Tunc hostiam justitiæ
Aris oblationes, (i)
Et acceptabis gratiæ
Tuæ litationes,
Tunc vitulos altaribus
Incensis imponemus,
Et holocaustis omnibus
TE DEUM accinemus.

122.

Ergo Deo propitio,
Et lacrimis pacato,
Translato & flagitio
Prophetæ ex effato, (k)
A me procul discedite,
Rei impietatis,
Et me, posthac, non dicite
Servum iniquitatis.

123.

Omnes qui operamini,
(Exeste) pravitatem, (l)
Contrariíque Numini
Lædentes Majestatem,

Nam

(f ibid. (g ibid. (h ibid. (i ibid. (k Psal. 6. (l ibid.

Nam Dominus exaudiit
Vocem ploratûs mei,
Et meritam imminuit
Regis vindictam rei.

124.

Adversa nemo gaudeat,
De mea posthac sorte,
Nec insolenter mordeat (m)
Me, culpans dignum morte,
Hostes, & *adversarij*
Confusi conturbentur,
Et animis contrarii
Contritis *convertantur*.

125.

O ter beati! veniam (n)
Adepti delictorum,
Reatuúmque gratiam
Potiti commissorum,
Et quorum sunt abscondita
(Oblivioni data)
Patrata tunc prærerita.
In Dominum peccata.

126.

Beatus Vir, cui Dominus (o)
Crimen non imputavit,
Nec quem dolosus spiritus
In fidem condemnavit,
In cujus ore falsitas
Nec fraudis sunt commenta,
Sed sancta mentis Veritas
Et fides est inventa.

172.

Delictum meum cognitum (p)
Et manifestum feci,
Nec volui absconditum,
Sed pœnæ me subjeci,
Meámque injustitiam
Non abditam celavi,
Nec dolis insolentiam
Occultam oppilavi.

128.

Dixi: meam malitiam (q)
Adversum me, fatebar,
Et quam egi stultitiam
Hanc palàm deprecabar,
Dixi: viditque Dominus
Meam Humilitatem,
Remisit & HIC protinus
Omnem impietatem.

129.

Pro hac tua clementia (r)
Sanctus omnis orabit,
Suáque in angustia
Ad te gemens clamabit,
Et opportuno tempore
Clamans exaudietur,
Et dato pacis fœdere
Delictum dimittetur.

130.

Ad te clamavi Domine, (s)
Et tu me suscepisti.
Mea in ægritudine
Me Deus sanavisti,

Et

(m ibid. (n ibid. (o ibid. (p ibid. (q ibid. (r ibid. (s Psal. 29.

Et ab inferno animam
Benignus *eduxisti*,
Et de lacu miserrimam
Captivam salvavisti.

131.

Tuas misericordias (t)
Æternùm decantabo,
Tuas in me clementias
Exultans prædicabo,
Omnísque Generatio
In Generationem
Tuo sciet præconio
Culpæ remissionem.

132.

Annunciabit gratiam
Tuámque veritatem,
Os meum & justitiam,
Et Patris mititatem,
Cantabo & judicium (u)
In Reum delinquentem,
Et vindicis justitiam
In servum pœnitentem.

133.

Omnes laudate populi, (x)
Deum laudate gentes,
In sæculum, & sæculi
Ævum, benedicentes;
Quia respexit gemitus,
Et rivos lacrimarum,
Et non abjecit penitùs
Me Pater gratiarum.

134.

Laus mea, mea gloria, (y)
Et mea Fortitudo
Est Dominus; Victoria,
Et mea Sanctitudo,
Et HUIUS mihi dextera
Est facta in salutem,
Et eadem hæc dextera
In me fecit virtutem.

135.

HUIC omnes confitemini, (z)
HUIC omnes jubilate, (a)
Cantate Nomen Domini, (b)
Et cytharam crispate,
Huic chordas, Choros, Organum, (c)
Huic tibiam sonate,
Huic cymbalum, & tympanum
Psalterium, pulsate.

Peccavi Domino. *lib.* 2. *Reg. cap.* 12.

BErsabea erat mulier Uxor aliena: * cum dolore quidem dicimus & tremore: Sed tamen DEUS noluit

(t Psal. 58. (u Psal. 100. (x Psal. 116. (y Psal. 117. (z Psal. 117. (a Psal. 99. (b Psal. 149. (c Psal. 150. * S. Augustinus in Psal. L.

noluit taceri, quod voluit scribi. Dicam ergo non quod volo, sed quod cogor: dicam non exhortans ad imitationem, sed instruens ad timorem. &c. Hujus maritum (David) in bello occidendum curavit. Homicidio auxit adulterium: & post hoc factum, missus est ad eum Nathan Propheta: missus à Domino, qui eum argueret de tanto commisso. Quid caveant homines diximus: quid verò si lapsi fuerint, imitentur, audiamus. Multi enim cadere volunt cum David; sed nolunt surgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed, si cecideris, resurgendi. Attende nè cadas: Non sit delectatio minorum, lapsus majorum: Sed sit casus majorum, tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpè lectum, atque cantatum. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, ut surgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Ecclesia, audiunt malè viventes, & quærunt sibi patrocinia peccandi: attendunt unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant, quod non commiserunt, & dicunt sibi: Si David, cur non & ego? Inde anima iniquior; quæ cùm propterea fecerit, quia David fecit, ideò pejus quàm David fecit. Dicam hoc ipsum, si potero planiùs. David nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, uti tu. Ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis: tu tibi tanquam sanctum proponis, ut pecces: non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in se odit David. Præparas te ad peccandum, disponis peccare. Librum Dei, ut pecces,

 inspi-

inspicis; scripturas Dei ad hoc audis, ut facias, quod displicet Deo. Hoc non fecit David. Correptus est per Prophetam, non lapsus est in Propheta. Alii verò audientes salubriter, in casu fortes, metiuntur infirmitatẽ suam: & quod damnat Deus devitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos. Non eos defigunt in pulcritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos; non dicunt, bono animo attendi, benignè attendi, de Charitate diu aspexi: Proponunt enim sibi casum David, & ad hoc illum Magnum vident cecidisse, ut Parvi nolint videre unde possint cadere. Reprimunt enim oculos â petulantia, non facilè adjungunt, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena mænia, ad aliena solaria. De longè enim vidit David Illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet, &c. Sed factum est, dixerim hæc eis, qui non commiserunt, ut vigilent custodire integritatem suam; & cùm attendunt Magnum cecidisse, parvi timeant. Si verò aliquis lapsus hæc audit, & aliquid mali in conscientia tenet: Attendat quidem vulneris magnitudinem, sed non desperet medici majestatem. Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat: si jam aliquid mali feci, jam damnandus sum; Deus malis talibus non ignoscit: cur non addo peccata peccatis? fruar hoc sæculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria: jam perdita spe reparationis: vel hoc habeam quod video, si non possum habere, quod credo. Quisquis peccâsti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo desperando salutem tuam: audi

audi David gementem. Ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama: Audi gementem & simul congemisce: audi flentem, & lacrimas junge: audi correctum & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan Propheta, attende Regis humilitatem. Non respuit verba præcipientis, non dixit: audes mihi loqui, Regi? Rex sublimis Prophetam audivit: plebs ejus humilis Christum audiat. Audi ergo, & dic cum illo: miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. &c. Ait Nathan Propheta ad David: Erat dives quidam habens plurimas oves, pauper autem vicinus ejus, habebat unam oviculam, quam in sinu suo, & de suo cibo nutriebat. Venit hospes diviti: nihil de grege suo abstulit; oviculam vicini pauperis concupivit, ipsam suo hospiti occidit. Quid dignus est? At ille profert iratus sententiam. Planè tunc Rex sciens ubi captus esset, morte dignum divitem dixit, & ovem reddendam in quadruplum. Severissimè atque justissimè. Sed peccatum ejus nondum erat coràm eo, post dorsum erat, quod fecerat: suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alienæ non ignoscebat. Sed Propheta ad hoc missus, abstulit à dorso peccatum, & ante oculos posuit, ut videret illam sententiam tam severam in se prolatam. Ad secandum & sanandum vulnus cordis ejus, ferramentum fecit de lingua ejus, &c.

 Sunt

Sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis! Nonne nudum fœdius & putidius est? Confuge ergo ad medicum; age pœnitentiam: dic: iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Quid est hoc? Coram hominibus enim non erat adultera uxor aliena, & maritus occisus? Nonne omnes noverant, quod David fecerat? Quid est: tibi soli peccavi, & malum coràm te feci? Quia tu solus sine peccato. Ille justus Punitor, qui non habet quod in illo puniatur: Ille justus reprehensor, qui non habet, quod in illo reprehendatur &c. Restat paucis alloqui vos FF. propter multa mala, inter quæ vivimus. Neque enim viventes in rebus humanis, migrare possumus à rebus humanis. Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos: quia cùm mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos. Non obliviscentes quid fuerimus, non desperavimus de his qui nunc sunt, quod fuimus, &c.

Nemo, nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia divina desperet. (*a*) Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet: ne fortè, si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit de diaboli laqueis liberari, non possit. David, qui & Rex & Propheta divino munere fieri meruit, post tantam gratiam, ita præventus est, ut non solùm adulterium committeret, sed etiam homicidium perpetraret: nec tamen se ad hoc reservavit, ut

(*a* S. Augustinus serm. 28. de Tempore.

ut in senectute sua, ad pœnitentiæ medicamenta confugeret, sed statim cilicio prostratus, conspersus cinere, cum ingenti rugitu & gemitu pœnitentiam agens, implevit illud, quod ipse in Psalmis dixerat: (*b*) Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Et iterùm: (*c*) Cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Et quia pœnitentiam agere mortifera securitate non distulit, citò in se Dei miserationem ita revocavit, ut non solùm regnum non amitteret, sed etiam sancti spiritûs donum recipere mereretur. Sed fortè est aliquis, qui dicat: Ego in militia positus sum, uxorem habeo: & ideò pœnitentiam agere quomodò possum? Quasi nos, quando pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat aufere, & non peccata dimittere, & vestimenta potiùs evellat, quàm mores. Qui hac dissimulatione decipere se magìs, quàm excusare conatur, attendat, quia Regem David, non honor Regni, nec dignitas vestimenti ad pœnitentiam agendam potuit impedire. &c. Agnoscamus quòd Dominus noster, qui & David post tam grave peccatum indulsit, & Achab Sacrilego regi pepercit, & Manassen post innumerabilia peccata pœnitentiam agentem inter amicos suos reputavit, & meretrici, quæ lacrimis pedes rigaverat, & capillis suis terserat, totum indulsit. Qui ergo istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis, si in veritate convertimur, non solùm peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare.

 Hæc

(*b*) Psal. 6. (*c*) Psal. 101.

Hæc ergo cogitantes, quantùm possumus, cum Dei adjutorio laboremus, nè nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata subrepant. Si verò in hoc malo fuerit aliquis diabolica calliditate prostratus, priusquam crimina ipsa per consuetudinem convalescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat, & cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliari contendat; Nec erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere; sed citò in se bonis operibus contendat imaginem reparare, ut inter filios mereatur agnosci à Patre, ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & â convivio nuptiali projectus, ligatis manibus & pedibus proiiciatur in tenebras exteriores, ubi,est fletus, & stidor dentium &c.

Peccavi Domino, ait David ad Nathan Prophetam, cùm de adulterio & homicidio argueretur. (d) Et transtulit Dominus peccatum â te, ait Propheta. Nimirùm, misericordia & veritas obviaverunt sibi. Et hoc quidem ut declinet â malo. &c.

David cùm peccavit, charitatem non perdidit, (e) sed obstupuit quodammodo in eo Charitas ad vehementem tentationis ictum: & charitatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quædam soporatio, quæ mox ut ad vocem arguentis Prophetæ evigilavit, continuò in illam ardentissimæ charitatis confessionem erupit: PECCAVI DOMINO: & continuò audire meruit, Dominus transtulit á te peccatum tuum, non morieris.

FILI-

(d S Bernardus in Annunç. ferm: 1, circa init: mihi fol: 124. (e Idem de Natur: & dignit: Amoris Divin, çap: 6, circa finem mihi fol. 1155.

FILIUS PRODIGUS POENITENS,

Imago Juventutis, in adolescentia lascivientis, delinquentis, resipiscentis, & pœnitentis.

S. Petrus Chrysologus in cap: 15. Luc: serm: 1. & 2. de Filio Prodigo.

Homo quidam habebat duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit, inquit, *ille substantiam.* Quantùm pius Pater, tantùm hæres impatiens: petente uno ambobus totam substantiam mox divisit, ut scirent filii, quod ante tenebat pater, non fuisse avaritiæ, sed amoris: providentia non invidentia, non dedisse. Beati filii, quorum tota est in patris charitate substantia. Beati quibus manet tota in obsequio patris, in Patris cultura possessio. *Congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est.* Adolescentior iste planè, non ætate, sed censu: qui congregavit bona patris, & abiit longè plus mente, quàm loco: ut dato, non accepto, pretio miseræ se venderet servituti. *Dissipavit*, inquit, *substantiam suam.* Quæ composita fuerant patre moderante, prodigente filio dissipantur; ut vel tandem sapiat, patrem custodem, non incubatorem fuisse substantiæ. *Vivendo luxuriosè.* Mortalis est ista vita, quia moritur virtutibus, quæ vi-

tiis vivit; sepelitur famæ, perit gloriæ, qui manet turpitudini, crescit infamiæ. *Et postquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa.* Luxuriæ, ventri, gulæ, fames tortor apponitur; ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœnalis reatus exarserat. *Facta est fames valida.* Ad talem finem semper voracitas tendit, ad talem pervenit terminum fugienda voluptatis effusio. *Et ipse cœpit egere.* Filium data facit egere substantia, quæ divitem negata servabat; ut penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundaverat non habendo. *Et adhæsit uni civium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* Sic invenit, qui se negat Patri, qui se committit extraneo, ut sentiat in sese verum judicem, qui fugit indulgentissimum provisorem. Affectionis desertor, pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditus servituti, porcorum pascua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur & maculatur excursu, ut sentiat quàm miserum sit, amarum quàm sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quàm crudele ministerium, quia neque convivit porcis, qui vivit porcis. Miser, qui porcorum deficit & esurit in saginam. Miser qui squalentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. *In se reversus dixit: quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hìc fame pereo.* Fames revocat, quem saturitas exularat! fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem; nè supernam valeat sentire pietatem. *In se reversus est,*

in

in se antè redit, ut rediret ad Patrem, qui à se antè recesserat, cùm recessit â patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Jacebat qui dixit, surgam; intellexit lapsum, sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideò exclamat, *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? qua spe? illa qua pater est. Ego perdidi, quod erat filii; ille quod patris est, non amisit: *Dicam illi, Pater peccavi in cælum, & coram te.* Cui peccatur in cælo, non terrenus pater est, sed & cælestis; ideò adjecit: *coram te.* Cui in cælo & in terra ante oculos sunt omnia, quæ geruntur. *Jam non sum dignus vocari filius tuus.* Non dicit, non sum dignus esse filius tuus, sed non sum dignus vocari filius tuus: quia vocari ad gratiam pertinet, esse ad naturam. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ecce potestatis suæ filius quo devenit? voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, ecce filium quo promovit?

1.

SI quem vel pater genuit,
 Vel mater tulit gnatum,
Cujus Utrumque puduit,
 In lucem esse natum,
Ego sum ille perditus
 Partus, & crux parentum,
Cui parem est intuitus
 Nec sol, nec firmamentum.

2.

Ego stirpis infamia,
 Fæx consangvinitatis,
Ego turpis parœmia
 Meæ Posteritatis,
Tam clari noxa sangvinis
 Originisque labes,
Tam pulcri spina germinis
 Posteritatis tabes.

Et scelerûm stipendia
Meorum enarrare.

17.

Infans ætas secesserat
Nutrices aversata,
Sensimque major creverat
Scientiis lactata.
Jam firma manus gladios,
Et lanceas tractare,
Artes, lusúsque varios
Didicerat versare.

18.

Ephebos jam excesseram,
Et Juvenis vocari,
Meique potens poteram
Et capax æstimari.
Ut meam Hæres peterem
A Patre portionem,
Et singularem caperem
Rerum divisionem.

19.

Ergo mihimet sapere
Visus, jam sat adultus,
Præsumpsi mox exigere
Audax, & inconsultus.
Ut hanc, quæ me concerneret,
Partem hæreditatis
Pater divisam traderet
Mensuram æquitatis.

20.

Hic meæ Pater plangere
Exitium ætatis,
Totóque gemens pectore,
Furorem cæcitatis,
Multámque meo vulneri
Suadere medicinam,
Præcipitique funeri
Prædicere ruinam.

21.

Sed cruda me temeritas
Effrontem efferavit,
Et nobilis hæreditas
Infrænem dementavit,
Ut nec madentem fletibus
Audirem deprecantem,
Nec meliora questibus
Admitterem suadentem.

22.

Cautes cordis Marpesia
Firmaverat audàcem,
Nulla Patris consilia
Flexêre pertinacem,
Nulla Domûs calamitas.
Nec preces vicinorum,
Nec Genitorum orbitas,
Nec fratris, nec sororum.

23.

Sed jacta fuit alea
Et tali voluntatis:

Fortunæ ducta linea,
Punctúmque libertatis;
Immobilis propositum
In mente obstinavi,
Et quem decrevi abitum
Conclusum obfirmavi.

24.
Quid agat Pater? cogitur
Invitus assentiri:
Urgetur: aurum poscitur;
Jubetur æs partiri;
Ergo ex asse dividit
Cum fratre portionem,
Et insolentem expedit
In novam Regionem.

25.
Sic expeditus, alio
Sub sole, viso Terras:
Tantóque dives spolio
Numatas pando peras,
Et liberali prandia,
Et ære, solvo cœnas,
Cinædos, & tripudia
Iocos, ludos, & scenas.

26.
Confestim fida pectora
Amici & sodales,
Mea stipabant latera
Prompti & vectigales,
In omnia officia
Vota, mandata, nutus,
Obsequia, servitia,
Eventus, & obtutus,

27.
Illi stupere pretia,
Et hospitis splendorem,
Et Tyria tapetia,
Et purpuræ nitorem,
Auro rigentes chlamydes
Gemmis vermiculatas,
Superbas periscelides
Argento incrustatas.

28.
Mirari torques pondere
Artéque insolentes,
Inaures multo decore
Per tempora pendentes,
Armillas & monilia,
Botrytes grandes mole,
Prædas maris, corallia
Indo excocta sole.

29.
Fulgere manus annulis
Superbas & Beryllis,
Topaziis, Carbunculis,
Et Erythræ lapillis,
Pyropis fulgurantibus,
Chrysolithi favillis,
Smaragdis, Adamantibus,
Lychnitis & scintillis.

30.
Et ardearum plumulas,
Et pennas struthionum,
Et in cothurnis lunulas,
Et nodos unionum,

Aulæa

Et ſcelerũm ſtipendia
Meorum enarrare.

17.

Infans ætas ſeceſſerat
Nutrices averſata,
Senſimque major creverat
Scientiis lactata.
Jam firma manus gladios,
Et lanceas tractare,
Artes, luſúſque varios
Didicerat verſare.

18.

Ephebos jam exceſſeram,
Et Juvenis vocari,
Meíque potens poteram
Et capax æſtimari.
Ut meam Hæres peterem
A Patre portionem,
Et ſingularem caperem
Rerum diviſionem.

19.

Ergo mihimet ſapere
Viſus, jam ſat adultus,
Præſumpſi mox exigere
Audax, & inconſultus.
Ut hanc, quæ me concerneret,
Partem hæreditatis
Pater diviſam traderet
Menſuram æquitatis.

20.

Hic meæ Pater plangere
Exitium ætatis,
Totóque gemens pectore,
Furorem cæcitatis,
Multámque meo vulneri
Suadere medicinam,
Præcipitique funeri
Prædicere ruinam.

21.

Sed cruda me temeritas
Effrontem efferavit,
Et nobilis hæreditas
Infrænem dementavit,
Ut nec madentem fletibus
Audirem deprecantem,
Nec meliora queſtibus
Admitterem ſuadentem.

22.

Cautes cordis Marpeſia
Firmaverat audácem,
Nulla Patris conſilia
Flexêre pertinacem,
Nulla Domûs calamitas,
Nec preces vicinorum,
Nec Genitorum orbitas,
Nec fratris, nec ſororum.

23.

Sed jacta fuit alea
Et tali voluntatis:

For-

Fortunæ ducta linea,
Punctúmque libertatis;
Immobilis propositum
In mente obstinavi,
Et quem decrevi abitum
Conclusum obfirmavi.

24.

Quid agat Pater? cogitur
Invitus assentiri:
Urgetur: aurum poscitur:
Jubetur æs partiri;
Ergo ex asse dividit
Cum fratre portionem,
Et insolentem expedit
In novam Regionem.

25.

Sic expeditus, alio
Sub sole, viso Terras:
Tantóque dives spolio
Numatas pando peras,
Et liberali prandia,
Et ære, solvo cœnas,
Cinædos, & tripudia
Iocos, ludos, & scenas.

26.

Confestim fida pectora
Amici & sodales,
Mea stipabant latera
Prompti & vectigales,
In omnia officia
Vota, mandata, nutus,
Obsequia, servitia,
Eventus, & obtutus,

27.

Illi stupere pretia,
Et hospitis splendorem,
Et Tyria tapetia,
Et purpuræ nitorem,
Auro rigentes chlamydes
Gemmis vermiculatas,
Superbas periscelides
Argento incrustatas.

28.

Mirari torques pondere
Artéque insolentes,
Inaures multo decore
Per tempora pendentes,
Armillas & monilia,
Botrytes grandes mole,
Prædas maris, corallia
Indo excocta sole.

29.

Fulgere manus annulis
Superbas & Beryllis,
Topaziis, Carbunculis,
Et Erythræ lapillis,
Pyropis fulgurantibus,
Chrysolithi favillis,
Smaragdis, Adamantibus,
Lychnitis & scintillis.

30.

Et ardearum plumulas,
Et pennas struthionum,
Et in cothurnis lunulas,
Et nodos unionum,

Aulæa

Aulæa tot & Stragula
Exculta Phrygum arte,
Auro cælata pocula,
Lydoque fusa Marte.

31.

Hæc famam mei nominis
Et pretium fecêre,
Et magni cultum sanguinis
Vicinis persuasêre:
Dolorum hinc artifices
Confestim advolare.
Ipsique se municipes
In servos mancipare.

32.

Hic parasiti laudibus
Me fascinare docti,
Et Pantomimi fraudibus
Exculti & excocti.
Assentatores pascere
Verborum apparatu,
Et callido imponere
Palpones famulatu.

33.

Accessit & fæx insolens
Gnathones, moriones,
Et Iuventutis pestilens
Lenones, Ganeones;
Experti fucum oculis
Allinere casuris,
Et paroxismum loculis
Febrilem morituris.

34.

Sic albæ mentis hominem
Me vafri dementare,
Et sensim in voraginem,
Malorum deturbare;
Sic meas aures ungere
Sirenes blandimentis,
Et sacculos emungere
Techharum palpamentis.

35.

Nam quo-me-cumque verterem
Adesse laterones:
Quidquid numatus peterem
Adferre Balatrones,
In meum gens interitum
Ultrò officiosa,
Et in suum promeritum
Turba ingeniosa.

36.

Cum his mea consilia
Agebam gaudiorum,
Cum his mea Pancratia
Jocorum & ludorum,
Hi Consi in Republica.
Quirites & Senatus,
Oracula Hi Delphica,
Hi totus consulatus.

37.

Sic ergo Saliaria
Convivia struuntur.

Et

Et læta Saturnalia
  Hilariter ducuntur,
Plenis fluunt delitiis
  Dies, noctésque totæ,
Mensæ natant lautitiis.
  Illecebrisque potæ.

38.

Hic Didia, & Fannia
  Lex procul exulabat,
Neroniana prandia
  Culinæ ars sudabat,
In hanc tota vivaria
  Coacta ambulare,
Et plena aviaria
  In focum advolare.

39

In pretiosa pabula
  Penus Vitelliana,
Illecebras & fercula
  Gaza Lucculliana,
Omnes census impendere,
  Et escis lascivire,
Jovísque quadrâ vivere,
  Sumptúque superbire.

40.

Ad hæc gulæ delitia,
  Obesa turba, coci,
Sua solers negotia
  Curare, & res foci,
Pinguis Mystillus, Lesbius
  Phyrnis, & Taratalla,
Et caupo Perdix anxius,
  In hac Bacchi procella.

41.

Deorum hic Ambrosia,
  Cupediæ Syrorum,
Luxuries Milesia,
  Dapes Bœotiorum,
Marci luxus Antonii,
  Ingluvies Milonis,
Novellii, Tricongii,
  Et epulæ Abronis.

42.

Hic nulla parsimonia,
  Nec tenax amor æris,
Sed tota patrimonia
  Pansis profusa peris,
In Phasidis altilia
  Et lingvas psittacorum,
Lucrina & conchylia,
  Jecinorum Scaurorum.

43.

Ipsamet Prodigalitas
  Hic visa est regnare,
Et sigmatum varietas
  Hic famem proritare.
Ipsa tributum aëri,
  Terræque imperare,
Suúmque pensum æquori
  In censum imputare.

44.

Frugum strues bellaria,
  Et arte, & naturâ,
Phæacum quæ pomaria
  Tulêre, vel cultura,

Elysiæ

Elysiæ Calabriæ,
Nemúsque Damascenum,
Felicis vel Campaniæ
In meam ibat penum.

45.
Hic festa Patris Liberi
Ogygia sonabant,
Læti circum Thyrsigeri
Pæana accinebant,
Hic celebrata orgia
Sub hedera Jachi,
Hic calicum Quinquatria
Dircæi læta Bacchi.

46.
Totas propè vindemias
Saturio haurire,
Campanæ temulentias
Vitis abligurire,
Nobilia præstant. æ
Vina Opimianæ,
Falernæ excellentiæ
Et mulsa Mamertinæ.

47.
Cressæ uva propaginis
Mellitum fudit rorem,
Primíque cella nominis
Chium Lenæa florem,
Hunc totis jam non cymbiis
Sed cantharis fundebant,
Non heminis, sed congiis,
Et cirneis bibebant.

48.
Tempestas dici poterat
Hic *comessationis*.
Nam interruptim fluxerat † *pluerat*
Annus potationis.
Vasa tonabant quercina
Crateres coruscabant,
Et temulentos fulmina
Bacchæa prosternebant.

49.
Jam sangvinem accenderat
Crater Capitolinus.
Jöpas animaverat
Chordas, & plectra Linus,
Chelys, testudo, fistula,
Et barbyta tremebant,
Et cornua, & crotala,
Et lyræ personabant.

50.
Alternos pedes facere
Allexerat Arion,
Et in choreas ducere
Induxerat Amphion,
Orphea modulamina
Aures quidem mulcebant,
Sed Dionea carmina
Lenonem molliebant.

51.
O carmina! O cantica,
Quêis mentes incantantur!

O blan-

O blandimenta magica,
Quêis corda faſcinantur!
His Cypridis præſtigiis
Mens caſta dementatur,
His cerea illiciis
Juventus vinculatur.

52.

Eſtur, potatur, luditur,
Saltatur, & amatur,
Fama, virtus, æs, perditur,
Ætatis flos falcatur,
Deus teſtis offenditur,
Et rea mens culpatur,
Jus cæli luſu perditur,
Et ſtyx in lucrum datur.

53.

Diebus ſic, & noctibus
Ludebam temulentus,
Hebdomadis & menſibus
Delitiis intentus,
Et quæ, referre pudor eſt
Agebam non dicenda,
De quibus ſerus dolor eſt,
Nefanda, execranda.

54.

Sic ſenſim patrimonium
In fumos vaneſcebat,
Suum tamen delirium
Mens cæca non videbat,
Nec ſyncopen marſupia
Senſêre fatiſcentem,
Nec ad poſtremum ſcrinia
Redacta jam trientem.

55.

Tandem conſumptis loculis
Fortuna avolare,
Torvíſque me Sors oculis
Averſa fulminare,
Majeſtas evaneſcere,
Et Gratiæ perire,
Et Hi, & Hæ, rareſcere
Sodales, & abire.

56.

Sympotæ tergum vertere,
Et ſervi diſparere,
Nec ampliùs me noſcere,
Nec ùt prius parere,
Quin ſannis me explodere,
Cachinnis ſibilare,
Ciconiáſque pinſere,
Et ſortem exprobrare.

57.

Quin (ovare diſplicet
Infandum heu dolorem!
Et ſerò nimis pœnitet
Meum noſci pudorem!)
Procaces in me ruere
Amati & amatæ,
Et ut Harpyæ furere
Irati & iratæ.

58.

Hi chlamydem diripere,
Criſtatum hi galerum,
Illæ crines invadere,
Et ſuum nuper herum,
Ut ſannionem ludere
Cultúque ſpoliare,
Et purpurâ exuere,
Et ſcurram compellare.

59.

Suâ collo monilia,
Et humeris catenæ
Avulſa, & cimelia
Et Tyriæ crumenæ,
Quin digitos cum annulis
Præſecuiſſent cultro.
Hæ Mænades, ni facilis
Hos detraxiſſem ultro.

60.

Hoc nempe chariſterium
Donorum & amorum!
Hoc omnium ſummarium
Exceſſuum meorum!
Hoc quod priùs monuerat
Pater, jam abiturum,
Aſt ego, quod prædixerat
Non credidi futurum.

61.

Nam cùm exutus omnibus
Exeſſe ſum coactus,
Et ſimul pulſus laribus
E foribus extractus,
Et pro tot beneficiis
Referrem maledicta,
Expenſis & divitiis
Tot verbera inflicta.

62.

Innubis tunc ſerenitas
Eſt reſtituta menti,
Et impudens temeritas
Objecta eſt dementi,
Et velut inter ſomnia
Cœpi evigilare,
Mea videns naufragia,
Et egeſtatis mare.

63.

Quot votis & ſuſpiriis!
Quot lacrimis dolebam!
Exercitus miſeriis,
Sortem meam gemebam,
Ah quoties pœnituit
Me patrem reliquiſſe,
Et impudenter (doluit)
Hæredem abjiſſe.

64.

Infauſta O convivia!
Sed ſerò, exclamabam!
O noxia tripudia!
Quæ perditus amabam!
O nequam Sodalitia!
Gulonum & bibonum!
Infamia conſortia
Lenarum & Lenonum!

65. O

65.
O magicæ præſtigiæ
Et ſtrygum & lenarum,
Incantatrices noxiæ
Mearum crumenarum,
Circæis vos me poculis
In beſtiam mutaſtis,
Meisque phthyſim loculis,
Et hecticam afflaſtis.

66.
O Phyllides! O Laides!
Anticiræ! Philenæ!
O Cæliæ! O Thaides!
O Phrynæ! O leænæ!
Quo me duxiſtis Hermiæ?
Quo Lesbiæ Catulli?
Tſmandræ? Floræ? Lamiæ?
Terentiæque Tulli?

67.
O cordium Sirenulæ!
O Scyllæ juventutis!
O nequam Stygis famulæ!
O tineæ virtutis!
Harpyæ innocentiæ!
Peſtes integritatis!
Charybdes Continentiæ!
Piratæ Honeſtatis!

68.
O cautes naufragantium
Proborum Syrtes morum!
O mille pereuntium
Maleæ animorum!
O nunquam veſtros oculos
Nec contemplatus ora,
In hos alliſa ſcopulos
Mea non foret prora.

69.
Sic naufragus in mediis
Iactor malorum undis,
Et crucior inediis,
Rebusque non ſecundis:
Diſparuêre ſocii
Et ſociæ menſarum,
Mecum nihil negotii
Ferentes, nec curarum.

70.
Procul eſſe Amphiones
Tunc millies avebam,
Nunquam nôſſe Ariones,
Nec muſicos optabam!
Ad usque Thulen ultimam
Omnes iſſe choreas
Et cum his luem peſſimam
Idalias Medæas!

71.
O improba temeritas
Tot inſolentiarum!
O ſtulta prodigalitas
Tantarum expenſarum?
Quibus ſiſus tam impudens
In pium Patrem fui,
Meamque ſerò ſapiens
Protervitatem lui.

72.

Ad me non posse credidi
Volentem Egestatem
Venire, sed cùm incidi
In hanc mendicitatem,
Tunc potuisse Peniam *
Me senli involare,
Ut cogerer hanc næniam
Cantare, vel plorare.

73.

Hæc pœna justa Prodigo
Patrem deseruisse!
Nunc mica panis indigo,
Nec hanc obtinuisse.
Nunc pallida jejunia
Lautitias mensarum
Compensant. & impendia
Tot temulentiarum.

74.

Calamitatum acies
Me plectit & exercet,
Fames & lenta macies
Indocilem coërcet,
Impransus dies transigo
Noctesque incœnatus,
Nec est qui crustam indigo,
Expendat imploratus.

75.

Suprema in inedia
Quid consili capescam?
Ut ad notorum ostia
Rogem mendicus escam?
Ut hi, qui meis loculis
Sunt lautè epulati,
Semesis panis frustulis
Insultent invocati?

76.

Sed ipsa hic erubuit
Mendicitas rogare:
Et in annonam puduit
Cauponam implorare,
Foresque tot flagitiis
Infames salutare,
Et meis tot miseriis
Cachinnos cumulare.

77.

Visum ignotos petere
Consultiùs penates,
Et peregrinos quærere
Heros vel Mecænates,
Aut si & apud Exteros
Necessum est famere,
Præstabit inter barbaros
Inglorium egere.

78.

Ergo invisam omnibus
Ignaris Urbem linquo,
Novisque regionibus
Novus hospes propinquo!
O qualis illa regio!
Solum triste, immite,
Meæ futura statio
Exiliúmve vitæ?

79. Val-

* Dea paupertatis.

79.

Valles hiabant horridæ
Petris, saxísque cinctæ,
Dumis, rubísque consitæ
Et senticetis vinctæ,
Propter rivos de montibus
Caducis Alni stabant,
Sed montes fœti quercubus
Convalles inumbrabant.

80.

Quocumque verti lumina
Vasta stabat Eremus,
Subter petrarum culmina
Umbrosum Cornis nemus,
Mixtísque colles Ilice
Hanc Ithacam cingebant,
Agrósque multo Silice
Consperfos asperabant.

81.

Ipsa loci austeritas
Incusserat horrorem,
Sed mea infelicitas
Excusserat timorem,
Intenta, ventris murmura
Compescere famentis,
Magis quàm terræ nemora
Videre blandientis.

82.

Fames preces extorserat,
Et docuit rogare,
Quidquid pudor incusserat
Hoc, illa, infirmare,
Panem (ah charò constitit
Hæc offula rogantem,
Vox hæsit, lingua substitit
Et lusit supplicantem)

83.

Panem (quamvis inedia
Impresserit pallorem,
Sed ipsa verecundia
Induxerat ruborem)
Panem (vocavi Dominam)
A villica rogavi,
Et Cererem, heu modicam!
Et nigram impetravi!

84.

Quàm rusticum hoc prandium
Obstupuit palatum!
Hoc primum antecœnium
Tam durè comparatum,
Præsagiebat reliquas,
Quas nondum dapes scirem,
Et quas porcorum siliquas,
Jejunus esurirem.

85.

Sed atri panis nauseam
Carboni concolorem,
Fames fecit ambrosiam
Et indidit saporem,
Ut crederem lautitias
Me Palatinas esse,

Et

Et fontem, Cen delitias
Bacchæas gluti isse.

86.

Condire fames potuit
Omnem suprema cibum,
Mutare duras docuit
In dulcem glandes libum,
Ipsa locus frugalitas
Et venter esuritor,
Ipsa locus necessitas,
Penus & dispensator.

87.

Jam doctus corna mandere,
Et rubos explorare,
Jam corylos excutere
Et nuces vestigare,
Silvestres Pyros scandere,
Et Malos expilare,
Acerba pruna legere,
Et stomacho litare.

88

Sic destitutus omnibus
Exul, miser, afflictus,
Philemonis mapalibus
Propinquo derelictus,
Et ruri hospes hospitem
Ignotus peregrinum
Saluto, & in velitem
Me vendo pecorinum,

89,

Sed mollē me cùm cerneret,
Nec viribus valere,
Secum tacens quid ageret.
Hoc famulo, movere,
Nam tergum ferre pondera
Elumbe non valebat,
Nec Equisonis onera
Exhausta vis sinebat.

90.

Solum aratro vertere,
Aut sarculum torquere,
Hortum ligone fodere,
Aut agrum exercere,
Nec quercus silvis cædere,
Nec fraxinos valebam,
Nec grandes Ornos findere
Inhabilis sciebam.

91.

Unum ergo supererat,
Pedum mihi & pera,
In hoc, mecum convenerat
Herus, & Baucis hera,
Ut in campos concederem
Suo præfectus gregi,
Et porcos ruri pascerem;
Quod munus & elegi.

92.

Tam nobilem hæc regio
Subulcum non habebat,
Nec ulla SUUM legio
Quam talis Rex pascebat,
Nam nepos *MARCI PORCII*
Hic poteram videri.
Et *COROCOTTÆ GRUNNII*
De sangvine censeri.

93. Sed

93.
Sed cultus fuit rusticus
Et endromis ruralis,
Luror in veste sordidus,
Et cento pluvialis,
Totum tegebat simium
Sub penula latentem,
Setigeri eximium
Exercitûs regentem.

94.
Impexis ibam Curius
Silvicola capillis,
Currens & errans invius
Gregem cogens flagellis,
Hic nulla vagus otia
Currens per arva sivit,
Sed jugia negotia
Afflicto facessivit.

95.
Acutis pedes vepribus,
Plantásque vulneratas,
Surásque tuli sentibus
Infixis fauciatas,
Cruenta quot vestigia
Impressa sunt arenæ,
Cruoris tot profluvia
Læsæ dedêre venæ.

96.
De cortice sandalia
Rubebant à cruore,
Vultus & humeralia
Madebant à sudore,
Toto langventem corpore
Solis urebat æstus,
Anhelo fessum pectore
Cursus fregit molestus.

97.
Qui priùs Idæ floribus
Mollis inambulabam,
Pæstanis me odoribus
Succísque recreabam,
Calcabam pulvinaria
Nardo, caltháque fulta,
Phæacum & rosaria
Magistrâ Florâ, culta.

98.
Nunc seminudus currere
Per densa senticeta,
Et cespitando ruere
In dumos & saxeta.
Sus errans cogit debilem,
Et tot ærumnis fractum,
Fortunâ miserabilem
In fabulam redactum.

99.
Olentes florum animæ
Et Chloridis roseta,
Perennes fiunt lacrimæ,
Pro moscho sunt fimeta.
Qui priùs gemmis nitui,
Vestémque pictus auro,
Juglandis instar arui
Gangetico par Mauro.

100.

Meam met turpitudinem
Et umbram improvisam,
Exhorrui imaginem
In fontis vitro visam;
Luror dedit suspiria,
Et lacrimam pædores,
Sera nimis deliria
Jam pœnitent dolores.

101.

In me armantur sidera,
Irásque cælum librat,
Hyems immittit frigora,
Æstas calores vibrat,
In duram stringor glaciem
Furente Aquilone,
Totam exiccor faciem
Exustus à Leone.

102.

Nubes prægnantes imbribus
Densis pluunt procellis,
Plenæ tonant fulminibus,
Et tempestatum bellis,
Velut flammis ultricibus
In noxium ituræ,
Aut pluviis vindicibus
Delicta eluturæ.

103.

Meæ pellis alumnuli,
Thoracis inquilini,
Fæx multipes vermiculi
Sanguipotæ echini,
Nocte, diéque vendicant
Et exigunt tributum,
Me lancinant, me verminant
Nullo momento tutum.

104.

Hinc neque nox, nec est dies
Immunis à dolore,
Aut si brevis ulla quies
Inducta est sopore,
Sub quavis sternor arbore
In cespitem projectus,
Toto extensus corpore,
Hoc cubital, hic lectus.

105.

Hic stulta noctis somnia
Illudunt dormienti,
Persuadet Morpheûs omnia,
Sopito & credenti,
Nam prima me felicitas
Ut suum colit herum,
Sed vigili calamitas
Votum condemnat serum.

106.

Omnes turbat imagines,
Cervical durum, silex,
Dulcésque lætitudines
Concussa ventis Ilex;
Fractique fragor roboris
Et Boreæ furores,
Et grunnientis pecoris
Circum aures, clamores.

107. O

107.
O qualis hæc conditio!
Vitæ inquietudo!
Jam sera me contritio,
Et culpæ pœnitudo
Ad saniora stimulat,
Suadetque meliora,
Et lacrimas accumulat
In nostra fusas ora.

108.
Seris mœstus suspiriis
Meam Catillo sortem
Deploro, & fastidiis
Mille præopto mortem,
Mihimet gravis, lacrimas
Fundo nil profuturas,
Et animi mœstissimas
Incassum volvo curas!

109.
Sopitum me pandæsia
Regalis recreabat,
Sed vigilem inedia,
Et fames cruciabat,
Porcina greges prandia,
Cœnásque ligurire,
Me pallida jejunia
cogebant esurire.

110.
Avebam ventrem furfure
Latrantem satiare,
Et inhiante gutture
Esuriem placare,
Sed furfur nemo, nec vilis
Quisquilias polentæ
Præbebat, miserabilis
Sortem dolens juventæ.

111.
Ergo. Sus, dixi sæpius,
A lintre satur abit?
Et ponè Pastor sobrius
Famelicúsque stabit?
Stabit? videns ingluviem
Brutalem satiari?
Et me pati esuriem?
A nemine cibari?

112.
Grex satur intrat stabulum,
Ventrem plenus quiescit,
Pastor suspirans pabulum
Inediâ fatiscit?
O Terra ferox, barbara!
Excors, inhospitalis!
Non his, vos testor nemora,
Posthac torquebor malis.

113.
Ibo (nam Patris memini
Abundè servos esse,
Deesseque nemini
Pastum, sed superesse)
Ibo, & me mancipiis
Ignotum immiscebo.
Vernarum & eduliis
Relictis me replebo.

114.
Quin tecta petam patria,
Laréſque penetrabo,
Pedem ſuſpenſus, atria
Furtivus ſubintrabo;
Ut, ut, Fortuna tulerit
(Fors miſero favebit)
Tentabo: ſi repulerit,
Tentâſſe nil nocebit.

115.
Tandem ſat ſit Porcarium
Famere & ſervire,
Patris juvat panarium
Penúmque convenire,
Forſan ſi intellexerit
Mendicum venientem,
Parcet, aut me conſpexerit
Flentem & pœnitentem.

116.
Ibo, & pronus corruam
Ad pedes Genitoris,
Et lacrimis hos abluam,
Et oſculis doloris,
Fors Patris tangent viſcera
Et mollient rigores;
Degeneríſque vulnera
Novi claudent favores.

117.
Ibo, ſtat fixum ſurgere,
Stat fixum pœnitere,
Propudium exuere,
Et flere *MISERERE*,
Dicam levatis manibus
PATER IN TE PECCAVI,
Infamis tot criminibus
Pentolabus erravi. †

118.
In veſtra beneficia
O ſidera! deliqui!
Carnis ſequens delitia,
Cùm Deum dereliqui,
Indignus ut intuear
Et vos, & Patrem meum,
Cùm ultionem merear
Et culpa damnet reum.

119.
Nolo me Pater filium,
Ut priùs, dicas tuum,
Sed ſervum Mercenarium,
Et *CONVICTOREM SUUM*,
Sit fas tuis ſervitiis
Poſtremum aggregari,
Et de menſæ repotiis
Indignum ſatiari.

120.
Sic ego; vos Suilia,
Lintres Silvæ, valete,
Guttur, venter & ilia
Non ampliùs famete:
Juvat (ad Patrem propero)
Mapale reliquiſſe;
Si verbo pellar aſpero:
Sat ſit Patrem vidiſſe.

Idem

† Scurra.

Idem Filius Prodigus, alio Rhythmo Pœnitens.

PRodigus ille filius in se reversus, surgam, inquit, & vadam ad Patrem meum; Prudenter ait, surgam, iturus ad eum, qui in cælis est, Patrem. Sed nimis exilem & macilentam spem, reposuerat in sinu suo, mercenariam conditionem Patrem rogaturus. Modestè quidem pro meritis, sed de paternæ miserationis copiis humiliter nimis, & injuriosè sentiens: verè famelici dans in hoc animi judicium & inediâ confecti. Dicam, inquit, ei: Pater fac me sicut unum de mercenariis tuis. Non enim poterat jejunam & macram spem ad majora porrigere. Surgam, inquit, & vadam ad Patrem meum. Iste de quærendo nil movetur Patre, tantùm de flectendo solicitus. Gilbertus Abbas sup: Cant: serm: 3. fol: 1766. lit: B.

1.

QUousque leno prodigus
Orbe vagor?
Buccella panis indigus
Exul agor!
Cum suibus de furfure
Pastus vivo,
Siti pulsus cum turture
Potor rivo,
Dormio sub clivo.

2.

Lacer, pannosus sordeo,
Pudet fari:
Suillos lintres mordeo,
Certo pari
Fame pro quadra glandium,
Largè datur
Porcis convivis prandium,
Mî negatur,
Solus non sum satur!

3.

In his Juventa nobilis
Me tot annis,
Et vita duxit mobilis
Ceû tyrannis:

Hæc

Hæc præmia libidinum,
Hæc amorum,
Hæ merces ſunt Cupidinum
Perditorum,
Harum fraus & Horum.

4.

Agnoſco imprudentiam
Juventutis,
Paternæ indulgentiam
Senectutis,
Ibo, precabor ſupplici
Genu flexus,
Fors gratia me duplici
Circumplexus
Patris ſtringet nexus.

5.

Culpam dicam ingenuè,
Non morabor:
Scelus fatebor ſtrenuè,
Deprecabor,
Extorrem pudet Patria
Sic vagari,
Ibo ſub Patris atria
Lamentari,
Veniam precari.

6.

In Te Pater, & Sidera
Bis peccavi!
Naturæ rupi fœdera,
Declinavi

A Patre totus filius,
Non ſum dignus,
Ut vocer natus illius,
Nec Privignus,
Sed ſervus malignus.

7.

Non peto in triclinio
Epulari,
Nec tegi lectiſternio
Singulari,
Nec auri primo vellere
Exornari,
Nec ut priùs excellere,
Honorari,
Pronus adorari.

8.

Ad tuum Pater, oſtium
Excubabo,
Cuſtodiáſque poſtium
Obſervabo!
Fac ultimus de vernulis
Sim tuorum,
Fruarque panis cruſtulis
Minimorum
Pars mancipiorum.

9.

Da Pater, da pauperculo
Supplex dicam,
De famulorum ferculo
Panis micam,

Mea

Mea quidem indignitas
Non meretur,
Sed Patris fors severitas
Mollietur,
Et in me flectetur.

10.

Est grandis noxa, fateor,
Quam admisi,
Peccati sorde moveor
Tam invisi,
Cum scortis patrimonium
Degulavi:
Dicens, fert testimonium
Mens, peccavi,
Turpiter erravi.

11.

Me vile mendicabulum
Luxus fecit,
Lupanar & prostibulum
Huc projecit;
Pro aula, patet stabulum
Hara brevis,
Cum suibus par pabulum
Esca levis,
Meis par merx naevis.

12.

Ergo valete illices
Tot malorum,
Nequam meorum complices
Scandalorum,
Satis indultum Thaidis
Est amori,
Satis famoso Laidis
Est colori,
Nunc plangam Dolori.

Pater peccavi in coelum & coràm te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

Luc. 15. v. 19.

HOmo quidam habuit duos filios. (a) Quis hic homo est? Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Quosnam porrò habuit duos filios? Justos scilicet & peccatores, eos, inquit, qui divina ejus mandata servant, & qui dominica transgrediuntur praecepta. *Et dixit adolescentior ex illis, Patri*; Quis est hic adolescentior filius? Qui mente fuit instabili

(a S. Joan: Chrysostomus orat: 4. in Parab: de fil: Prod: Luc: 15. mihi fol. 1283. Tom. 5.

bili præditus. & juventutis turbinibus agitatus. Patrem agnovit natura eum, qui se condiderat, licet honore non prosequuta sit voluntas libera Creatorem suum. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Rectè petiit â Deo, quæ Dei sunt, sed malè, quæ petiit, perdidit. *Et divisit illis substantiam Pater.* Dedit illis, ut domum propriam Mundum universum; dedit ipsis, ut Creator, creaturam omnem, ipsis corpora & animas ratione præditas largitus est, ut ratione, qua sj manu ducti nihil agerent contra rationem. Proposuit ipsis legem suam; & naturalem & scriptam, quasi divinum pædagogum, ut ab ea instituti legislatoris voluntatem adimplerent. *Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius*, ut adolescentiorem decebat, fecit, profectus est peregrè in regionem longinquam, discessit â Deo, & discessit ab eo Deus. Non enim vim facit illi, qui nolit ipsi servire. Sunt enim arbitrii, non necessitatis, virtutes omnes. *Ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè.* Ibi animæ divitias omnes perdidit; ibi delectans, & delitiis perfruens naufragium fecit: ibi ludens & delusus pauper est factus; ibi corruptrices animæ voluptates mercatus, & risum emens, extrema lacrimarum accepit; ac virtutes quidem quas habuit, abjecit, scelera autem, quæ non habuit, assumpsit. Cùm verò omnia consumpsisset, non enim solent durare turpiter viventibus divitiæ gratiæ, facta est fames valida in regione illa; ubi enim temperantiæ fruges non excoluntur, ibi fames valida: ubi virginitatis racemus in torculari non premitur, ibi fames valida; ubi fertilitas malorum, ibi omninò sterilitas

rilitas bonorum : ubi abundantia malarum actionum, ibi omninò raritas virtutum : nam ubi humanitatis oceanus non scaturit, ibi fames valida. *Tunc ergo & ipse cœpit egere.* Nihil enim ei reliquum fuerat, nisi ea, quæ intemperantiæ propria sunt, postquam omnia turpitudinis facinora commiserat. *Et profectus adhæsit uni civium regionis illius.* Cives autem regionis illius sunt dæmones, in qua profugus degebat. *Et misit eum in villam suam civis ille, ut pasceret porcos.* Sic enim honore afficiunt dæmones eos, qui se honore prosequuntur : sic amant eos, à quibus amantur : talia dona largiuntur illis, qui sibi obediunt. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. Quid autem hoc est de siliquis? Nam siliquarum gustus dulcis est, sed tamen & asper simul, & difficilis. Ejusmodi est & peccati natura, paululùm quidem exhilarat, sed punit plurimùm, Delectat ad tempus, & æternùm castigat. In se autem reversus, & apud se priorem felicitatem cogitans, ad posteriorem hanc miseriam, sibique in memoriam revocans, qualis esset, cùm versaretur, cum Deo & Patre, qualis autem nunc sit, dum dæmonibus subjectus est, in se ergo reversus dixit : *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo* ; quàm multi nunc catechumeni sacris literis perfruuntur, Ego autem fame divinorum oraculorum teneor ? O quantis me ipsum bonis privavi ! O quantis me ipsum malis implicui ! Cur enim â beato illo convictu secessi? Cur me in hanc mortiferam vitam ingessi ? Didici ex iis, quæ passus sum, Deum non derelinquere, didici eum semper

per

per tenere, qui se retinentes semper conservat : didici impuris dæmonibus non credere, qui omnem impuritatem, & depravationem docent. Quid ergo ait? *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Revertar benè, unde discessi malè. Redibo ad Patrem meum Conditorem, Dominum & Creatorem, & Provisorem, & comprehendam eum, qui solet exspectare, & secum assumpsit eos, qui ad eum se converterant. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi : Pater peccavi in cælum, & coram te : Jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis*, sufficiunt mihi ad salutem hæc verba. Sufficit mihi ad obsecrationem Patris mei nomen: etenim facere non potest Pater meus à me appellatus, quin se patrem operibus prodat; non potest non commovere viscera sua, qui misericors est: non potest, cùm audierit, PECCAVI, non veniam dare delictis meis: non potest, cùm vocem meam exaudierit, justæ iræ suæ non oblivisci. Scio quantùm apud eum valeat pœnitentia : scio quantùm possint apud eum lacrimæ: scio quo pacto quisque peccator ad ipsum conversus & flens amarè peccatorum obtineat remissionem. Novi Dei mei bonitatem : novi Patris mei benignitatem. Miserebitur mei pœnitentis, quem non punivit peccantem, &c.

Vides quòd divinum patrimonium petentibus datur. (*b*) Nec putes culpam patris, quòd adolescentiori dedit. Nulla Dei regno infirma ætas, nec fides gravatur annis. Ipse certè se judicavit idoneum, qui poposcit. Atque utinam non recessisset à Patre, impedimentum nescisset

(*b*) S. Ambrosius lib. 7. comment: in cap. 15. Luc. post initium.

nesciſſet ætatis. Sed poſteaquam domum patriam derelinquens, peregrè profectus eſt, cœpit egere. Meritò ergo prodegit patrimonium, qui receſſit ab Eccleſia. Peregrè profectus eſt in regionem longinquam. Quid longinquius, quàm à ſe recedere; nec regionibus, ſed moribus ſeparari: Studiis diſcretum eſſe, non terris: & quaſi interfuſo luxuriæ ſæcularis æſtu, divortia habere ſanctorum? Etenim qui ſe à Chriſto ſeparat, exul eſt patriæ, civis eſt mundi. Sed nos non ſumus advenæ atque peregrini, ſed cives ſumus ſanctorum, & domeſtici Dei. Qui enim eramus longè, facti ſumus propè in ſanguine Chriſti. Non invideamus de longinqua regione remeantibus; quia & nos fuimus in regione longinqua, ſicut Iſaias docet. Sic enim habes. Qui ſedebant in regione umbræ mortis, lux orta eſt illis. Regio ergo longinqua, umbra eſt mortis. Nos autem, quibus ſpiritus ante faciem Chriſtus eſt Dominus, in umbra vivimus Chriſti. Et ideò dicit Eccleſia: in umbra ejus concupivi & ſedi. Ille igitur vivendo luxuriosè, conſumpſit omnia ornamenta naturæ. Unde tu, qui accepiſti imaginem Dei, qui habes ſimilitudinem ejus, noli eam irrationabili fœditate conſumere. Opus Dei es: noli ligno dicere Pater meus es: nè accipias ſimilitudinem ligni, quia ſcriptum eſt: ſimiles illis fiant, qui faciunt ea.

Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. (c Diſciplinam ejus ſuſtinete; ſicut filios, ita & vos aggreditur Deus. Quod probat ille filius Junior, in Evan-

N gelio

(c S. Auguſtinus tomo 9. Tract. 5. de tempore Barbarico. mihi fol. 325.

gelio positus, qui disciplinam paternam contempsit, substantiam suam in meretricibus erogavit, porcos pavit, fame contritus est, siliquis porcorum ventrem suum implere non potuit, tandem aliquando reversus est ad se, & invenit se, qui perdiderat se, & in mentem ei venit, quòd multi mercenarii patris sui abundarent panibus, ipse verò fame periret. Statim surrexit, ad patrem recurrit, non se filium, sed tanquam unum ex servis computari rogavit. Inclinatur rogari humilitas, excitatur misericordia: voces filii pœnitentis concutiunt paterna viscera. Dicit se filius indignum, ut ille eum judicet dignum. Rogat ut in numero servorum jubeatur suscipi; & pater ei illam primam stolam jubet afferri; mactat vitulum saginatum, chorum congregat, advocat amicos, facit epulum magnum; quare? Quia hic filius meus, inquit, mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Hanc similitudinem Dominus in Evangelio proposuit, quam ipse exposuit: Dicens: tale gaudium fieri in cælo super peccatore pœnitentiam agente.

Nam sicut filius ille, (d) qui peregrè profectus est in regionem longinquam, ubi dissipavit substantiam suam luxuriosè vivendo, sic & quicumque peccator, dum carnales voluptates diligit, à Domino peregrinatur: & quantò peccando fit dissimilior, tantò magis â Deo elongatur; substantia enim hominis est omne quod vivit, cogitat, sapit, & loquitur, quæ Deus æquè dividit. Quam substantiam peccator consumit, dum

(d Idem serm: 28, ad fratres in Eremo de filio prodigo.

dum conſcientiam, & vitam, & cogitationes, & verba in malis actionibus impendit. De filio etiam iſto dicitur, quòd cœpit egere: & ideò adhæſit uni civium regionis, & miſit eum in villam, ut paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Eget enim peccator, dum cupit implere ventrem, non pane vitæ æternæ, ſed glandibus, qui porcorum cibus eſt. Ideò adhæſit uni de principibus mundi, ſub cujus favore paſcere porcos, id eſt, dæmones valeat. Porcus enim immundum animal eſt, & de ſordibus ſaturatur, & delectatur. Siliquæ enim ſunt non ſolùm glandes, ſed etiam omne turpe & immundum, quod porcus comedere delectatur. Iſtæ denique ſiliquæ ſunt fornicationes, ebrioſitas, & guloſitas. Iſti enim ſunt dæmonum cibi, quibus peccator repleri deſiderat, ſed nemo dat illi ad ſufficientiam. Peccator enim ſemper fameſcit, ſemper devorare quærit, nunc luxuriando, nunc alia faciendo ſemper delectari deſiderat. Sed viſitante Domino patre per gratiam paſſionis ſuæ pœnitet miſer peccator, dolet jam paſcere porcos, cogitat, & cogitando ſurgit pergens ad patrem, & dicens: Pater, peccavi in cælum, quia aſſumpſi frequenter nomen tuum, & ſanctorum tuorum in vanum. Peccavi etiam coràm te, quia in tua humanitate peccavi, quia non cognovi opere tuam infirmitatem, quam pro me paſſus es. Peccavi coràm te, quia Deus & homo es. Peccavi in cælum, quia in Patrem & ſpiritum S. Non igitur ſum dignus vocari filius tuus. Sed quid fecerit pius pater, audiamus, legamus, prædicemus, non ſileamus. Nam miſericordiâ motus,

videns illum venientem, occurrit: videns lacrimantem, lacrimatur: videns eum nudatum, stolam jubet parari: videns eum discalceatum, calceatur: credens eum debilem & famelicum, occidi jubet vitulum saginatum. O quàm grandis misericordia tanti patris! O quàm infinita ejus pietas! O quàm dulcis! O quàm pia miseratio! Ecce enim filius peregrè fugit, & tamen patienter exspectat: Omnia bona destruxit, & tamen ad se revocare festinat. Porcos pascit, & ei jam vitulum parat. Fame jam ferè emoritur, & epulari jam clamat. Nudus apparet, bonis operibus privatus, & ecce stolâ pristinæ gratiæ Salvatoris, quam in baptismo recepit, induitur, & annulus fidei desponsationis datur, ne amplius valeat pascere porcos, qui ad domum patris fugit: sed tanquam civis sanctorum, & domesticus Dei fundetur in domo divinæ majestatis in æternum, & ultra. Quòd benè ostendit ille misericordiæ pater, quia videns illum, misericordiâ motus est, & occurrit, & brachia extendens super collum ejus, osculatus est eum, dicens servis suis: adducite vitulum, & manducemus. Hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est. Similiter hoc idem Salvator Petro, quando eum negavit, quando illum respexit, quando respexit mentem ejus, tunc flevit amarè. Occurrit peccatori Salvator; quia per se non potest ad Deum accedere, nisi ei subveniat, nisi mentem ejus respiciat. Sed postquam eum respexerit, flectitur super collum ejus; quia onus ejus leve ponit super collum ejus, dicens: Discite â me; quia mitis sum, & humilis corde. Tunc stolâ indui-

tur.

tur, dum anima indumento virtutum vestitur. Duæ enim stolæ sunt; Una videlicet, quando anima in præsenti indumento virtutum vestitur. Altera verò immortalitatis est, quando corpus in fine sæculi etiam resuscitabitur. Et ideò, Fratres mei, licèt in eremo sitis, scire tamen debetis, quòd duæ stolæ sunt, duæ resurrectiones: quarum una est animæ, quando resuscitatur â vitiis, in quibus mortua jacebat: altera corporis, quando corpus configuratum erit corpori claritatis Christi, quando in die judicii reformabitur. Eja ergo Fratres mei, & Corona matris meæ, scitote, quòd porcos jam pavimus, cùm multo tempore dæmonibus peccando placuimus. Jam frequenter eorum siliquas desideravimus, quando mundo placere voluimus, quando in eo florere concupivimus, quando delectationibus suis toto affectu adhæsimus. Sed nunc Dei gratiâ servi Christi sumus, clamare non cessemus: *Peccavi Domine, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Quorum clamorem audiens occurrit nobis osculando, suam pacem donando. Stolam donavit, quando animam vitiis spoliavit. Annulum donavit, quando in fide nos roboravit. Calceamenta donavit, quando memoriam mortis nobis impressit. Vitulum occidit, quando in sacramento altaris memoriam passionis ejus in mente renovavit. Tunc nobiscum pater manducat & epulatur, quando in operibus suis perseverando delectamur: Tunc sic nobis ornatis præcipit angelis Deus, ut convivium præparent, quia mortui eramus, & surreximus: perieramus & inventi sumus. &c.

PETRUS POENITENS,

Schema Virorum in dignitate ſacra, Statûs Eccleſiaſtici, conſtitutorum, delinquentium, reſipiſcentium, & reatus ſuos deplorantium.

LAcrimas Petri lego, ſatisfactionem non lego, ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavant lacrimæ delictum, quod voce pudor eſt dicere, vel confiteri. Lacrimæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Flevit amarè, ut lacrimæ lavarent delictum, tu ſimiliter lacrimis dilue culpam. Non invenio quid dixerit, ſed quòd flevit. *S. Ambroſ: ſuper Luc: lib: 9.*

Petrus ſingulis noctibus ad galli cantum procidens in genua, petênsque veniam, deflebat peccatum negationis Chriſti uberrimis lacrimis, adeò, ut oculi jugiter ruberent, quaſi ſangvine reſperſi, & in genis canalis, lacrimis quaſi excavatus appareret. *S. Clemens apud Nicephorum. lib. 2. cap. 37.*

1.

CUicumque Nomen notum eſt
Simonis Piſcatoris,
Illud infame totum eſt,
Ob culpam peccatoris:
Hunc, quem Dæmon expetiit
Ut triticum cribrare,
Hic cogitur, quo periit,
Delictum deplorare.

2.

Si fletus quis audiêrit,
Et improbos ſingultus,

Et

Et causam inquisiêrit
  Madentis imbre vultûs:
Culpam subesse judicet
  Tanto dignam mœrori,
Quæ jugi cor sacrificet
  In victimam Dolori.

3.

Si culpa fuit fletibus,
  Aut lacrimis reatus
Dignus plangi perpetibus
  Ab ullo perpetratus:
Hic est; quem Reus defleo:
  Hic est, quem gemo, queror,
Quem nunquam satis doleo,
  Nec sat in luctus feror.

4.

Hic est, unda Nilotica
  Quem nunquam satis mundet,
Piscina nec Probatica
  Salubriter inundet.
Hic est, qui planctus expetit,
  Et imbres oculorum,
Hic est, qui juges elicit
  Austros suspiriorum.

5.

Hic febrientis cordis est
  Et lingvæ paroxismus,
Hic inconstantis mentis est
  Et oris solœcismus,
Hic est ingratitudinis
  Immanis barbarismus,
Hic grandis hebetudinis
  Nocens idiotismus.

6.

Hoc scelus Alpha criminum,
  Omega delictorum!
Quod ausus est in *Dominum*
  Servus imus *servorum*!
Quo se (perjurus tertiò)
  Fœdùm contaminavit,
Et in Aulæ commercio
  Se morti mancipavit.

7.

Quis hujus turpitudinem
  Oceanus lavabit?
Infaustam ægritudinem
  Quis Medicus sanabit?
Non si concurrant maria,
  Hanc eluent sentinam,
Non ars feret herbaria,
  Nec Chiron medicinam.

8.

Si culpæ nomen quæritur,
  Est improbum; quod terret
Aures; quo mens percellitur;
  Cælum stupet; & hæret
Terra; quod pudet prodere,
  Et palàm confiteri,
Quod humo mallem condere,
  Aut prorsus aboleri.

9.

Patrare si non puduit.
  Non pudeat vulgare!

Qui culpam non abhorruit,
Cur horreat narrare?
Lingvæ fuit piaculum,
Et turpe buccæ crimen,
Quod rupit oris vinculum,
Transgressum labri limen.

10.

Dicam: nullo silentio
Fas est culpam velâsse:
Quantóque sit exitio
Caiphæ domum intrâsse!
Dicam: eâdem proloquar
Lingvâ, qua *TER* peccavi.
Scelus dolore persequar,
Quo Dominum negavi.

11.

Quæ mentis sideratio,
Quis entheavit error?
Ut nulla noxæ ratio
Teneret me, nec terror?
Ubi mei fidelitas,
Amor, honor, Magistri?
Ubi jurata charitas
Discipuli? Ministri?

12.

Ubi ferox constantia
In mortem ardens ire?
Ubi dextræ fiducia
Hostes audax ferire?
Ubi servi frequentia
Abesse nunquam visa?
A Domini præsentiâ
Nec mota, nec divisa?

13.

Ille qui Ducis lateri
Semper comes hærebam,
Et me, cum illo, carceri
Claudendum offerebam,
Iturum in pericula,
Passurum mille mortes,
Per enses, hastas, spicula,
Et hostium cohortes?

14.

Armatis qui manipulis
Lictorum inferebar,
Et solus ex Discipulis
Nil milites verebar,
Et unus armis omnium
Non solitus terreri,
Sed meum promptus Dominum
Acinace tueri?

15.

Seu Dux iret per flumina,
Per flumina ferebar:
Seu per Thaboris culmina,
Per culmina sequebar:
Seu navigaret maria,
Per mare navigabam,
Regna, Terras, Imperia,
Cum *HOC* perambulabam.

16.

Latere jussit vallibus,
In vallibus latebam,

Sede-

Sedere juſſit montibus,
In montibus ſedebam.
Calcare juſſit æquora,
Et æquora calcabam,
Tenere juſſit littora,
Et littora tenebam.

17.

Laxare juſſit retia,
Et retia laxavi;
Me piſcium negotia
Tractare, hæc tractavi;
Ægra ſanare corpora,
Et corpora ſanavi;
Reſuſcitare funera,
Et hæc reſuſcitavi.

18.

Sed tot firmatus gratiis
Quò animus migravit?
Tot dives beneficiis
Quò cæcus deviavit?
Erravi, O dementia!
A via veritatis!
Fregi: O inconſtantia!
Legem fidelitatis!

19.

Dies ibat in Veſperum,
Nox induit atrorem,
Educens aſtris Heſperum
In ſiderum ductorem,
Sequuta mox eſt Delia.
Sed denſâ nube clauſa,
Ne cerneret crudelia
Audenda tot, & auſa.

20.

Duce JESU conceſſimus
In hortum Oliveti,
Somno graves indulſimus
Super humum quieti:
Hic poſitis poplitibus
Triſtis Patrem orabat,
Singultiens gemitibus,
Sudánsque lacrimabat.

21.

Tunc agonizans Sangvinem
Ubertim deſtillabat,
Et mortis ad formidinem
Natura vacillabat,
In terram languens corruit,
Et viribus defecit,
Sed quod Naturæ defuit,
Divinitas ſuffecit.

22.

Interea Satellitum
Cohortes properare,
Et armatorum militum
Horti portis adſtare,
Irruere tumultibus
Unum IESUM quærentes,
Et improbis clamoribus
JESUM, IESUM, petentes.

23.

Hic JESUS: *quem* hîc *quæritis?*
Reponunt illi: JESUM!
Si me! nullum læseritis
Ex his, ait, sed JESUM
Quem vultis, *EGO SUM* ille;
Ad hanc vocem proſtrati,
Retrorſum ruerunt mille,
Ceu cælo fulminati.

24.

Nil territi ſunt omine,
Sed magis efferati;
Confuſo ruunt agmine
In necem comparati,
Captivum ſtrictim vinciunt,
Ceu furem, aut latronem,
Collo funes injiciunt,
Et ducunt ut prædonem.

25.

Ulturus hîc injurias
In Dominum patratas,
Actus tandem in furias
In copias armatas
Educens enſem irrui,
Et ſervo inſolenti
Aurem dextram abſecui,
Malcho facem ferenti.

26.

Ignotum Iudas prodidit
Et vendidit argento:
Amoris ſigno tradidit
Nequitiæ figmento:
Tunc læta plebs, tam nobili
Captivo, prædam duxit,
Qua torrens Cedron flexili
Per arva rivo fluxit.

27.

Ne forte pari caperer
Ad judicem trahendus,
Et paribus involverer
Malis reus plectendus,
Fugâ ſalutem quæſii
Per avia viarum,
Et tuta plenus petii
Timoris, & curarum.

28.

Sed amor, licèt pavidus
Me tenuit Magiſtri,
Quid, *EI*, ſcire cupidus
Accideret ſiniſtri,
Hinc lentis procul paſſibus
Servam ſequor cohortem,
Intentus capti caſibus
Diſpoſitis ad mortem.

29.

Sequor lictores prævios,
Urbem pavens ingreſſus,
Per angiportus bivios,
Ubi turbæ congreſſus
Meabat infrequentior,
Nec plebs tumultuabat,

Nec

Nec vigil oculatior
Intrantes observabat.

30.

Sed en! in ipso limine
Lapsurus cespitavi,
Omen erat de crimine,
Quod hebes non notavi:
In mille frusta tibiam
O utinam fregissem!
Tunc lapsus in perfidiam
Hanc, reus non fuissem.

31.

Aut Portæ offendiculo
Ceu fulmine prostratus,
Utroque forem oculo
Feliciùs orbatus,
Nè tantum nefas fletibus
Sanguineis piandum
Intuerentur, fluctibus
Aut maris inundandum.

32.

Ingressus aulæ faciem
Porticibus vallatam,
Armatam specto aciem
Hastilibus paratam
Ad Præsidum imperia;
Pars vellicabat focos,
Pars agitabat seria,
Pars risus, sannas, jocos.

33.

Hos eminùs timidior,
Nè quis me nôsset fortè,
Spectabam; mox audacior
Cùm tota de cohorte
Respicere me neminem
Attentiùs notarem,
Accessi multitudinem,
Et huic me junxi parem.

34.

In vasta fusus area
Satelles excubabat,
Horrendùm flante Borea
Circùm ad prunas stabat,
His mixtus Petrus adstiti,
O nunquam adstitissem!
Hoc igne fidem perdidi.
Quam nunquam perdidissem.

35.

Aër gelabat frigore,
Sed mihi cor amore
Ignis arcebat corpore
Suo frigus calore;
Sed ignis, qui, quod latuit
In me gelu arceret,
Non penetrare potuit
Ut algens cor caleret.

36.

Tunc Petrus inter Aulicos,
Bubo inter volucres,
Casus præstolans tragicos
Et exitus lugubres,
Qui, ducto ad Prætorium,
JESUM meum manerent,
Non

Non memor quòd perjurium
Maláque tot laterent.

37.

Hic miles ex me varia
Cùm fciſcitari gaudet,
Accedit oſtiaria,
Et exprobrare audet;
Me *Hominis diſcipulum*,
Quem dicunt eſſe Chriſtum,
Cui, *juro*, dixi cærulum
Virum non novi iſtum.

38.

Quid? Nonne *Gallilæus es?*
Confeſtim arguebant:
Tu imitator ejus es;
Ancillæ aſſerebant,
Cælari nequit Patria,
Vox prodit te loquentem,
Nónne, per horti atria
Te vidimus ſequentem?

39.

Tractare doctus retia,
Et maria metiri,
Inter Aulæ conſortia
Mox didici mentiri,
Iuſſus, quod eram dicere
Dolosè ſimulavi,
Volens cauſam evincere,
Fœdifragè negavi.

40.

At noxæ conſcientia
Me nulla tunc notabat,
Nec culpæ pœnitentia
Amentem verberabat,
Nec crimen, quod admitterem,
Præ metu ſentiebam,
Sed dextre, quòd illuderem
Quærentibus, gaudebam.

41.

Cùm foco ſtarem propior,
Ancilla cuſtos portæ
Accedit confidentior
De militum cohorte,
Huic, inquit, cur ignoſcimus?
(Ore diſerta pleno)
Hic erat (virum noſcimus)
Cum JESU Nazareno!

42.

Concitus hac injuria
Probróque ancillari;
Cœpi per tot perjuria
Horrendùm deteſtari!
Virum, quem illi dicerent,
Me nunquam conſpexiſſe,
Nec me, ut hi objicerent,
Diſcipulum fuiſſe.

43.

Hæc me, dixi, abſorbeat,
Et me dehiſcat humus,
Cælúmque fulmen torqueat,
Hic me ſuffocet fumus,
Hic concidam, & abeam
Non vivus ex hac domo,

No-

Notitiam si habeam
Quis, qualis sit, Hic Homo!

44.

O Domus! O Palatium!
Infausta Petro porta!
O omnium nox noctium
Fataliter oborta!
O Sacerdotis atria!
O Ignis ad quem frixi!
O Custos ostiaria
Cui, *Hunc non novi*, *dixi*!

45.

Ales jam gallicinium
Sub nocte duplicavit,
Nec tamen vaticinium
Hoc, bardum excitavit!
Quin imò, cùm me noscere
Iam plures affirmarent,
Orcos mille fatiscere
Iussi, qui me vorarent.

46.

Vix dixi: cùm ter accinit
Meum mî gallus lessum!
Me IESUS quidem respicit
Fidem datam transgressum.
Et sua in me lumina
Doloris & amoris
Vibrat, sed duo fulmina
Sunt cordis, & terroris.

47.

Peccavi, clamo, perditus,
Sacrilegè peccavi!
Heu me! à gallo monitus
Ter Dominum negavi!
Infelix Petre! perfido
In JESUM sacramento,
Sic reum te, ter edito
Fecisti juramento?

48.

Sic Caiphæ ostiaria
Me Christi desertorem,
Induxit ad nefaria
Cælorum Janitorem!
O si clausissem ostium
Incautæ duplex lingvæ,
Non factus essem hostium
Et causæ pars iniquæ!

49.

Prædator olim piscium
Ancillæ præda factus:
Ab hac in grande vitium
Infamiter pertractus:
O si à mutis piscibus
Silere didicissem,
Nunquam tam diris casibus
In scelus incidissem!

50.

O fuga consodalium,
Timórque fortunatus!
O sanius consilium,
Beatiórque status!

Qui

Qui vos ab hoc piaculo
Servavit innocentes!
O ſi minore ſcandalo
Secutus fugientes!

51.
Vox una me! *Vox* perdidit,
Sed pejor *vox*, trecentis!
Malignum non, quod edidit
Ter dictis juramentis,
Infelix *vox*, quæ *hominem*
Se non noviſſe dixit,
Quæ tot malorum grandinem
In pectus hoc inflixit!

52
Dei viventis Filium
Quem nuper nuncupavi,
Tenentis Patris ſolium
Profeſſus adoravi!
Nunc ſobolem vix hominis
Præſumpſi compellare,
Et JESUS, quid ſit nominis,
Me, dixi, ignorare.

53.
Ad iſthæc ſacrilegia
Me mulier induxit,
Hæc animæ naufragia
Ancillæ fraus, inſtruxit,
Hæc fidei divortium,
Hæc fœderis fracturam,
Hujus fecit conſortium
Hanc gratiæ jacturam.

54.
Cum voce ales Martius
Auroram nunciaret,
Mentémque brutam tertius
Jam clamor excitaret;
Heu me! quantùm expallui,
Audirem cùm me peti,
Hoc ſono: frixi, calui,
Attonitúsque ſteti.

55.
Vox hæſit ſtricta faucibus,
Corpus reliquit vigor!
Immotis ſteti calcibus,
Cor occupavit rigor.
Sanguis venis obriguit,
Mentem tenebat ſtupor,
De more, nulla micuit
Vena, quam ſtrinxit, torpor.

56.
Aſt cùm tempeſtas ſpiritûs
Se nihil non ſedaret,
Triſtis ſucceſſit gemitus,
Qui ſincopen levaret.
Et horror in ſuſpiria
Et lacrimas ſolutus,
Clamaret, O deliria!
Heu quo ſum devolutus!

57.
Haud ſecus, ac cùm Boreâ
Gelante rigent flores,

Et

Et Auster mox in area
Nivem solvit in rores,
Rigor pruinæ defluit
In guttas distillatus,
Sic dolor meus depluit
In lacrimas liquatus.

58.

Hic ego, quò me nescio
Converterem trementem?
Urgebat pejeratio,
Quæ conturbabat mentem,
Dei terrebat ultio,
Quam trepidus verebar,
Oggessit conturbatio
Pœnam, quam promerebar.

59.

Confugerem ad sidera?
Hæc reus violavi!
Ad pia JESU viscera?
Hæc effrons denegavi!
Ad Patris indulgentiam?
Hanc audax temeravi!
Amoris ad clementiam?
Hanc nocens impiavi.

60.

Quid nisi Lamentatio
Supererat dolenti?
Et mentis perturbatio
Enorme crimen flenti?
Quid? nisi me agnoscere,
Et excusare reum,
Et inter planctus dicere,
Heu me! *negavi Deum*!

61.

Insomnis conscientia
Cor lancinat afflictum,
Et crebra pœnitentia
Improperat delictum,
Tot pectus fervet fluctibus,
Reámque mœret sortem,
Ut crebris ictum luctibus
Optet subire mortem!

62.

Ter cecidi: non sufficit
Ter crimen revocâsse,
Ter millies nil proficit
Dixisse, me errâsse!
Fatenda culpa toties
Et lacrimis pianda,
Obtulerit *vox* quoties
Se menti tam nefanda.

63.

Momentis autem omnibus
Recurret, quid fecisti?
Tuis negationibus
Tam effrons cur fuisti?
Quæ potuit confusio
Sic perturbare mentem,
Aut quæ timoris passio
Sic reddere amentem?

64.

Ah (serò licet) memini,
Cùm JESUS quæreretur

In

In horto, notus nemini
Palámque clamaretur,
Ubi, vel quis *hic JESUS est*?
Reposuêre petræ
Quærentibus, *hic JESUS est*:
Et hunc tu nescis Petre?

65.

Ignaræ petræ nominum
Horti per omnes oras,
IESUM sunt fassæ Dominum,
Et Petre hunc ignoras?
O Petre! petris durior,
Et surdior cavernis,
Indigne terrâ! dignior
Mille Simon Infernis.

66.

O multò rupes æquior
Et magis fida, Petro,
In fide, quæ constantior
Nunquam reversa retro!
Nomen quod semel audiit,
Petitum non negavit,
Sed quod audivit, tenuit,
Bis, terque replicavit.

67.

Noverunt hunc pomaria,
Et frondes Oliveti,
Et Echo IESUM varia
Per arbuta vireti,
Vix IESUS luco sonuit,
Quem furens plebs *clamabat*,
Confestim hunc reposuit
Vox IESUM, quem *amabat*.

68.

Hunc cuncta rerum Dominum (*a*)
Noverunt Elementa,
Immensum, & interminum
Cælorum firmamenta,
Nato plaudebant velites
Exercitus Polorum,
Et Angelorum cælites
Canentium chororum.

69.

Hunc Stella duce, Reguli
Tres Magi cognoverunt,
Ad cunas cùm Pueruli
Se supplices stiterunt,
Thus offerentes Numini,
Auri, myrrhæque dona,
Regi Reges, & homini
Sabæi Regni Bona.

70.

Hunc saxa, petræ, marmora
In frusta dissipata, (*b*)
Et defunctorum corpora
In vitam animata,
Hunc Terra, cùm contremuit,
Agnovit morientem,
Et mortuum obstupuit,
Et rursum resurgentem.

71. Hunc

(*a* S. Gregor: Pap. homil: 10. in Evang. (*b* Ibid.

71.

Hunc in illius funere
Sol tenebris obductus,
Et in confuso æthere
Communis cæli luctus.
Hunc Galileæ Hydriæ
Sex Deum cognovêre,
Huic se procellæ Adriæ
Calcandæ Substravêre.

72.

Hujus Orcus potentiam (c)
Coactus adorare,
Et huic obedientiam
Compulsus est præstare;
Illique vinctus subdere
Se *Princeps Tenebrarum*,
Et liberatam reddere
Phalangem Animarum.

73.

Hunc, quem insensibilia (d)
Senserunt Elementa,
Ego qui mirabilia
Et vidi tot portenta,
Ancillæ dixi: *nescio
Hunc*, *nec*. quem dicis, *novi*,
Impingi crimen inscio,
Huic nunquam me devovi.

74.

O lingva! mendax fidere!
O Saxum induisses!
Et veritatem dicere
A Saxis didicisses!
Aut certè salvo fœdere
Cum saxis tacuisses,
Contaminata scelere
Tam gravi non fuisses!

75.

Aut clauso rigens gutture
Immobilis stetisses,
Aut Lothiano funere
In salis petram isses,
Et à stando constantiam
Petream tenuisses,
A sale sapientiam
Professa docuisses.

76.

Ah memini, cùm piscium
Ab opere vocaret
Me suum in consortium,
Et altiùs clamaret,
Me sequere: in littore
Amanter præstolantem,
Relicto statim æquore
Sequutus sum vocantem.

77.

Ah! dulcis vocis memini!
Et memini sermonis!
Indigno quem tunc homini
Fecit, tot gravem bonis!
Donisque, quæ sequacibus
Quondam esset daturus,
Et rebus pro fallacibus
In cælo præstiturus.

O 78. Hic

(c Ibid. (d Ibid.

78.

Hic *Piscatorem Hominum*
Me *posthac* jussit esse,
Nec marium, nec fluminum
Piscatui præesse:
Sic vale feci retibus,
Cymbis, scaphis, phaselis,
Hamis, nassis, & piscibus,
Antennis, remis, velis.

79.

Ah! quantus Petrus fueram
De vili piscatore!
Quantus (qui nil merueram)
Ex servo Peccatore?
Quantus? JESU Discipulus
Ut essem, & haberer,
Terra, cinis, vermiculus,
Ut filius foverer.

80.

Tunc præ me rebar hominem
Nullum beatiorem,
Parémque mihi neminem,
Tantus, talis, cùm forem?
Qui secretorum conscius,
Et pars consiliorum,
Testis fui & socius
Mirorum portentorum.

81.

Hujus virtute nominis
Miracula patravi,
Robur, virésque dæmonis,
Et potestatem stravi!
Et quæ non ejus robore?
Conviva mensæ fui,
Fecítque suo corpore,
Et sangvine me frui.

82.

In monte Thabor Numinis,
Et Majestatis testis!
Cùm frons fulgeret luminis
Instar, nivísque vestis:
Et hunc negâsti perfide,
Et dîxti non novisse,
Quin pejerasti perdite
Illi non convixisse?

83.

Quanto verborum pondere?
Quo vocis apparatu?
Quo servitutis fœdere
Fidóque famulatu?
Tecum paratus vivere,
Mori tecum paratus,
Tecum in omne ruere
Periculum testatus!

84.

Priùs Cedron recurrere
Ad suum, dixi, fontem,
Jordanem sursum scandere
Sublimem Horeb montem.
Priùs carere piscibus,
Et dulcorari, mare,
Destituíque fluctibus,
Quàm JESU te, negare.

85. O-

85.

Omnes te deseruerint:
Non ego: tecum stabo!
Omnes te denegaverint,
Non ego te negabo:
Sequar quocumque iveris,
In pœnas, cruces, mortem,
Quamcumque volens tuleris,
Hanc tecum feram sortem.

86.

Ad judicum subsellia
Te lætus comitabor:
Ad stricta Tribunalia
Comes associabor:
Tecum concludar carcere,
Tecum stringar catenis.
Nefas sit mihi parcere
Tuis non pari pœnis.

87.

Credebam me in fluctibus
Cêu *petram firmam stare*,
Parémque tempestatibus
Sub me ferire mare!
Sed Petrum levis fœmina
Me fecit, ut *natarem*,
Et, ut, inter discrimina
Arundo fluctuarem!

88.

Credebam cælo sidera
In terram ruitura,
Acturam Terram rudera,
Et priùs abitura

In merum *NIHIL* omnia,
Et chaos Elementa,
Quàm non fore perennia
Sancita juramenta.

89.

Sed nempè me præsumptio
Superba sic dejecit,
Et insolens elatio
Ruinam mentis fecit;
Si vilitatis ratio
Me meæ tenuisset,
Nunquam jurata sponsio
A JESU defecisset.

90.

Ah! nunc post tot mendacia
Cedron valebit rursum
Sui fontis initia
Relegere, & sursum
Ad Horeb clivum scandere
Jordanis, siccum mare
Non fluctus ullos pellere,
Et inops pisce, stare.

91.

Sed oris hæc professio,
Sanctúmque juramentum,
Et sanctio, & sponsio,
Et lingvæ sacramentum,
Umbræ, fumóque simile
In auras evolavit,
Et, quàm cor sit instabile,
Perjurium probavit.

92.

Res omnes, ſpes, ſolatia,
Magiſtro me vocante,
Uxorem, prolem, retia,
Reliqui Petrus ante,
Nunc ipſum verum Domi-
num,
Mundíque Creatorem,
Deum, Altorem hominum,
Patrem, Ducem, Paſto-
rem.

93.

Hæc nempe texit Cynthio,
Et Cynthiæ ſplendorem,
Induxit hæc negatio
Sideribus atrorem,
Hæc fecit terram tremere.
Montes, petráſque frangi,
Hæc è ſepulcris fremere,
Et mœſtùm manes angi.

94.

In me debebat cælitûm
Ultor ſævire zelus,
Fulminibúſque perditum
Centum ferire ſcelus,
In me natura furere,
Nec ſtare ſic afflicta,
Sub me tellus corruere,
Et plectere vindicta.

95.

Quid enim non promerui
Sacrilegus negator?
Mens ipſa teſtis eſt ſui
Judex, & accuſator;
Objurgat conſcientia,
Quam ſi ſopire tentem,
Immergit in ingentia
Tormenta renitentem.

96.

Peccavi! Reo ſidera
Ignoſcite fatenti!
Dolor impreſſit vulnera
Amarùm pœnitenti!
Iras in me ſuſpendite,
Ignéſque cohibete,
Luctus meos attendite,
Et lacrimas videte.

97.

Dies, noctes doloribus
Non interruptim angor,
Cordis mei tortoribus
Cêu telis punctim tangor,
Seu ſolis ardent lumina,
Seu luna det pallorem,
Fluunt per genas flumina,
Spargúntq; cordis rorem.

98.

Non tuos poſthac, Phoſpho-
re,
Cælo tuebor vultus,
Nec tuas faces Heſpere,
Quin ructet cor ſingultus,
Noctes, diéſque jugiter
Sinum fletu rigabo,

Tun-

Tundendo pectus duriter,
Nunquam malas ſiccabo.

99.

Itote ergo perpetes
Prænuncii dolorum,
Ite fletus interpretes
Gemituum meorum,
Ut currant inſtar fluminum,
Totos laxabo fontes,
Pleni torrentes luminum
Quæſitos inter montes.

100.

Laxate ſpecus abditi
Convallium receſſus,
Sit rupe patens hoſpiti
Ad latebras ingreſſus,
Hic petras ego molliam
Aceto lacrimarum,
Irarum donec leniam
Vindictam divinarum.

101.

Date, date hoſpitium.
Inhoſpitales feræ,
Vos inquilini montium
Pardi, Tigres, Pantheræ,
Sum pejor vobis omnibus,
Qui petras habitatis.
Immitior leonibus,
Immitis feritatis.

102.

Mea poſthac palatia
Veſtra erunt ſpelæa,
Aranearum retia
Parietum aulæa,
Nox in cavernis montium
Caligo, & tenebræ,
Erunt culparum fontium,
Et criminum latebræ.

103.

In his latebo tutior
Petrinus inquilinus,
Ab arbitris ſecurior
Saxicola ferinus,
Ab hominum conſortio,
Et Urbibus ignotum,
Et procul omni vitio
Juvat eſſe remotum.

104.

Hæc mea rupes crimina
Obſcuritate teget,
Super cavernæ limina
Pes nullum paſſum leget,
Aula peccare docuit,
Eremus dedocebit,
Aulæ libertas nocuit,
Hanc ſolitudo flebit.

105.

In beſtias eſt tutiùs,
Quàm Aulas, incidiſſe,
Inter feras pacatiùs,
Quàm Aulicos, vixiſſe,
Malo draconum potiùs
Et eſſe ſtruthionum,
Quàm Aulicorum ſocius
Tot animæ latronum.

106.

Petrus, qui petram indui,
 Et durum Adamantem,
Cor ſaxeum exhibui
 In IESUM me amantem,
Sub ſaxis, petris, montibus
 Perennè crimen luam,
Et luminum ex fontibus
 Doloris rivos pluam.

107.

Mei reatûs conſcia
 Nox diem averſatur,
Cui nota ſunt mendacia,
 Quêis rea mens damnatur;
O Nox! amica criminum,
 Et artifex culparum,
O Interemptrix hominum!
 Et latro animarum!

108.

O architecta fraudium,
 Inventrix jurgiorum,
O machinatrix cædium,
 Molitrix vitiorum,
Quot in abyſſum Barathri
 Incautos deturbaſti?
Quot in æternas Tartari
 Flammas præcipitaſti?

109.

De nocte, *noctis opera*
 Caſtigans caſtigabo,
Et rupe ſub hac aſpera
 Et Umbris habitabo,
Antri tetra caligine
 Hoc caput obtegetur,
Ut nullo ſolis lumine
 Infidum illuſtretur.

110.

Relictis condiſcipulis,
 Conſortióque fratrum,
Ibo, duríſque ſcopulis
 Mei figam theatrum,
In hoc Actor me arguam,
 Et dicam, quid feciſti?
Nondum egreſſus januam
 Ter IESUM negaviſti?

111.

Solus me comitabitur
 Præſes vigiliarum,
Hic Gallus, quo *cantabitur*
 Nocturnus lacrimarum.
Primus: Secundus: Tertius,
 Vatidicus horarum,
Et monitor, & nuncius
 Meatum noxiarum:

112.

Exeſo ſub hoc ſcopulo
 Mihi leſſum cantabit,
Et clauſum ſaxi loculo
 Ut mortuum plorabit,
Ferali modulamine
 Nycticorax me planget,
Triſtíque Bubo carmine
 Funeſtos threnos panget.

Egreſ-

Egressus foras Petrus flevit amarè. *Luc*: 22. *v*. 62.

DOmino discipulis suis dicente, Omnes scandalum patiemini nocte ista in me: (*a*) Petrus alium in sensum accipiens, cùm seipsum commendare vellet, ac reliquis Discipulis Domini studiosior & amantior inveniri ; vel potiùs , ut dicam quod res est, negationem suam divulgare , sic Dominum allocutus est. Quid ais Domine? Omnes scandalum propter te patiemur? Et cum omnibus me quoque annumerâsti? Siccíne meæ constantiæ confidis? Etiámne ego te negabo? Qui in mári inambulavi? Qui in monte figuratione dignus sum habitus? Qui dæmonum gregem fugavi? Qui morbum omnem sanavi? Nónne ego te omnium primus agnovi, & exclamavi; Tu es Christus Filius DEI vivi? Quamobrem & meo testimonio commendato beatum me prædicâsti , ac Petram Ecclesiæ nuncupâsti, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversum eam? Egóne igitur te negabo Princeps Apostolorum, columna Ecclesiæ? Quamobrem & mihi ipsi præfidens vociferor; Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor. Tum ad illum Christus. Quid dicis & contradicis Petre? Verbis Deo resistis? mendacémne me deprehendisti? Non obsecras, ut confirmeris; sed promittis fore, ut non concutiaris?

O 4

(*a* S. Joan: Chrysostomus de negat: Petri, Tom. 5. mihi fol. 1591. & 1592. 1593. 1594.

tiaris? Nónne hic ipse fervor tuus multò te deteriorem effecit? Tuam istam temeritatem in mari etiam incedens ostendisses, nisi ego manum citiùs extendissem. Nónne in monte quoque transfigurationis in me peccâsti, cùm tria velles tabernacula fabricari, & in eodem ordine cum amicis me Dominum collocares? Nónne ut Hierosolymam non ascenderem orabas, quòd Judæorum minas non ferres? Et quidem publicare te volebam Petre, & tu præscium Divinitatis meæ oculum rejecisti. Ecce quæ perpetraturus es, tibi dico, ut qui sis, ex rebus tuis cognoscas. Amen, amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis. Petrus autem rursus mente deceptus, & humanæ conditionis mutabilitatem ignorans, Domino in hæc verba respondet. Quid me terres? Scio mortem contemnere, neque te negabo. Dominus autem ad Petrum: Rectè tu quidem apud te decrevisti; verùm haud multò post cognosces: tempus enim est in januis, ut manifestetur, & tuum propositum, & mea prænotio. Sed quis tandem finis sermonis? Imminet quippe jam vespera. Comprehenso namque Domino, atque in atrium Principis Sacerdotum deducto, omnibúsque dispersis discipulis, solus Petrus sequebatur in atrium Principis Sacerdotum, ut ea nimirùm exequuturus quæ decreta erant. Cùm autem Christus interiùs vinctus teneretur, Petrus in exteriori atrio fidènter sedebat immotus, ut qui jam nempe victoriam retulisset. Itaque cùm aliquamdiu consedisset ille, neque gladium videret exacui, neque propositas cotes, non proscriptionem denunciatam, non exilium

irro-

irrogatum: sed exigua ancilla pretio empta vilis, accedens Petro inquit; Quid hic agis O homo? ubi est virtus Magistri tui? Ecce conclusus est intus: ecce crucis supplicio mox addicetur: tum Petrus, cùm omnem confidentiam ac dicendi libertatem ex memoria ejecisset, respondens ait: Quid mihi obstrepis puella? Non novi hominem. O rem mirabilem! Qui dicebat, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo: jam negat. Postquam igitur accidit hæc prima negatio, perturbatus Petrus, ab atrio, tanquam ab igne prosiliit extra vestibulum currens. Quid deinde rursus? Altera ancilla occurrit illi: O res mirabiles! nusquam miles, nusquam gladius, sed vilis puella Petro occurrit. Illum aggressa est, sic dicens. Quid tumultuaris, O homo? quo properas? quid æstuas? Nonne te semper cum Galilæo incedentem videbam? Quomodo igitur egressus vestibulo curris? Petrus autem, non jam simpliciter respondit, sed cum juramento inquit, non novi hunc hominem. Vidisti Dei prædictionem & hominis lapsum? Deinde scandala negatione completa, tertia demùm negatione obsidetur. *Post* pusillum, cùm accessissent, qui adstabant, Petro dicebant. Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Petrus autem cœpit anathematizare, & jurare, quia non novi hominem. Ubi providum Petri promissum? Qui antea dixisti, Tu es Christus Filius DEI vivi, hic dicis: Non novi hominem istum? Fortasse Petrus imprudens, dum hanc vocem protulit, evigilavit, nec absurdè locutus est; non dixit, Non novi Deum Verbum, sed dixit,

Non novi hominem istum. Offendit in eo, quod cernebatur, non in eo, quod intelligebatur. Quapropter & prævidens Dominus dicebat: Quicumque dixerit blasphemiam in Filium hominis, remittetur ei. Quid Petrus? Non novi hominem istum, & continuò gallus cantavit: ille invictus *Petri* accusator, prævius sententiæ Dominicæ, ac patronus, negationis proclamator, prænotionis index, ac pœnitentiæ lacrimarum admonitor. &c.

Petrus, post tam gravem lapsum, ad tantam rediit eminentiam sanctitatis. *(b)* Quis de cætero desperet, si tantùm egredi voluerit à peccatis? Attende quod scriptum est. Egressus foras, flevit amarè. In egressus confessionem oris, in amaro fletu, compunctionem cordis intellige. Et attende, quòd tunc primùm recordatus est verbi, quod dixerat IESUS: tunc primùm cordi fuit verbum, quo prædicta fuerat ejus infirmitas, cùm evanuit præsumpta temeritas. Væ tibi, qui post lapsum fortiorem te nobis exhibes. Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potiùs, ut meliùs erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit meliùs solidarii, quid indignaris increpanti Gallo? Tibi potiùs indignare. Pluviam voluntariam, ait *Psalmista*, segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est. Bona infirmitas, quæ segregatur hæreditati, quæ medicum non repellit: Induratos enim tanquam vas figuli in virga ferrea conteret: & hæreditas infirmata est, ait, tu verò perfecisti eam.

Audi-

(b) S. Bernardus in Dom: 4. post Pentec: Serm: 4. in solemnit: SS. Apost: Petri & Pauli. mihi fol. 225.

Audivimus Dominum dixisse, (c) discipulis suis: Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte propter me. Cui Beatus Petrus ait: Etiamsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Sed Dominus inspector cordis respondit, & dixit: amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ille autem dixit: Etiamsi me mori oportuerit pro te, non te negabo. Videte, fratres charissimi, verus & cælestis medicus venam cordis inspexerat, & quâ horâ tentationis pondus, vel infidelitatis frigus venturum esset, prædixerat. Medicus prædicebat, & ægrotus negabat. Sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit, quod promiserat homo, & verum apparuit, quod prædixerat Deus. Quid enim homo sine Dei gratia possit, timor beati Petri Apostoli evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum: & nisi quod ait Propheta: (d) Omnis Caro fœnum? Et ideò beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere, & ut Ecclesiæ Rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro Apostolo claves Ecclesiæ: imò creditæ sunt ei claves regni cælorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitiis, passionibus, culpis involuta atque peccatis. Denique sic ad

(c S. Augustinus tom: 10. de tempore. Serm: 124. post Dominicam Palmarum serm: 1. (d Esa: 40.

ad eum Salvator dicit: Tibi, inquit, dedi claves regni cælorum. Deinde sequitur, dicens. Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo; videlicet ut in clavibus fidelis ianitor, in sententiis esset clementissimus dispensator. Erat enim revera hic *Petrus* paulo durior & severus, sicut ejus austeritatem truncata ob Christi injuriam servi principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, támque severus, si donum non peccandi â Domino fuisset indeptus, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcirco divinæ Providentiæ secretum ità temperavit, atque permisit, ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorem sententiam proprii casûs intuitu temperaret. Quantùm igitur divini muneris erga salutem hominum, quantùm curæ, quantúmque solicitudinis impendatur, advertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa Confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo, qui dixerat: Etiamsi me oporteat mori tecum, non te negabo. Hic est Petrus, qui divina revelatione prior omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Christus Filius Dei. Hic tantus & talis venit ad illam noctem, in qua Dominus tradebatur, & cùm se calefacere vellet ad prunas, accessit ad eum puella, & dicit ei: Et tu hesterno die cum homine hoc eras. At ille mox respondit: Nescio hominem istum. Quid agis, O Petre, futuræ Rector Ecclesiæ: quid loqueris? Intuere quid sis interro-

gatus,

gatus , vel quid interroganti reſponderis. Vox tua repentè mutata eſt ; hoc eſt omne illud , quod citò , ſed non cauto ſermone promiſeras. Hoc eſt totum , quod etiam omnibus negantibus te usque ad mortem perſeverare juraveras ? Nondum fidem tuam aliquis tentavit, atque diſcuſſit , nondum te ob Chriſti negationem adverſarius traxit ad publicum , nondum es apud reges & præſides propter nomen ejus exhibitus : non tibi flagella , nondum ſunt admota tormenta. Quis porrò eſt , qui te interrogat , quòd tam citò negaſti ? Non eſt ſervus, non liber, non Phariſæus , non ſcriba , non ſacerdos , non miles, non centurio , non ſpiculator , nullus poſtremò eorum , qui authoritate ſua poſſet formidinem incutere confitenti : mulier te ſimplici voce interrogat , & fortaſſe nec proditura confeſſum : nec verò tantùm mulier, ſed puella ; & non ſolùm puella , ſed oſtiaria , vile procul dubio , abjectúmque mancipium. O res ſtupenda ! Puella accedens fidem Petri diſcuſſit : Sic ſoliditatem Petri non turbo, non imber , ſed roris leviſſima gutta transfixit. Petrus labia puellæ non ſuſtulit : ſed ubi locuta eſt , ille turbatur. Proceſſit ſermo puellæ , & immobilis columna concuſſa eſt. Verumtamen inſtabat illa interrogans,& dicebat : Et tu heſterno die cum homine hoc eras ? Petrus autem eò magis oppreſſus formidine , hominem ſe ſcire negavit. Quem reſpiciens Chriſtus , ſuorum fecit recordari ſermonum. At ille intelligens factum , converſus ad pœnitentiam , amariſſimè flevit. Agnovit enim ſibi , ut homini, peccati irrepſiſſe perniciem , quod totum ha-

ctenus

ctenus, ut memini, divinitùs procreatum est. Videte ergo Fratres Charissimi, quemadmodum exiguæ culpæ permittitur subjacere tantus Apostolus, ut emendatus elationis vitio, atque correctus, integro vestiatur moderationis & clementiæ indumento. Jam enim eruditus es, & doctus in Petro, quemadmodum eum Dominus tui causâ patitur circumscribi delicto, quemadmodum illum fidei pietatisque signiferum, & generis humani columnam permiserit metu dominante quassari, ut populorum doctoribus, & Magistris esset exemplum, â Deo sibi non peccandi gratiam minimè condonatam, sicut dicit Apostolus Paulus: Considerans te, nè & tu tenteris. Cùm fortè quis in Ecclesia delicto præventus, non statim abiiciat, condemnet, sed compatiatur, ac lugeat, consoletur & revocet, commodet jacenti affectum, porrigat manum, erigat lapsum, spem ei divinæ Clementiæ repromittens, sub qua etiam servire exemplo tantorum comprobat, Magistrorum. &c.

Tenetur Dominus, ad sacerdotum principem perducendus: (*e*) & cùm discipuli laberentur, Petrus promissor egregius cœpit ambulare longinquiùs, pervenit ad principis domum: & quia Petrum frigus urgebat, calefaciendus, solicitus assistebat. Ecce ille, qui nihil infirmitatis se putabat habere, paulatim cœpit ad verba medici pervenire. Negat tertiò Christum, qui se promiserat animam pro eo positurum. Prostravit eum anicula decrepita, quasi gravis febricula. Pres-sit

(*e S.* Augustinus Append: de diversis. tom: 10. ser: 3. post Dom: Palm: de Pasione, serm: 46. fuit de tempore 121.

ſit eum lethargicus ſomnus, & cepit eum præco impiger matutinus. Audit gallum cantantem, & vidit ſe diſcipulus Dominum offendiſſe. Sub ancilla cœpit pondere mergi atque demergi; Non erat, qui adjuvaret, niſi de interioribus prætorii Petrum Dominus reſpexiſſet. Cùm nox media declinatum ſubitò teneret incurſum, gallus cantavit, & nocte naufragus reſpiravit. Contum invenit fidei liberalem, quouſque impelleret navem, ut in medio ſcopulorum portum quæreret lacrimarum. Vidit navim cordis ſui ſine mercibus nudam: flere cœpit amarè, quia Dominum ſuum cœpit amare. JESUS pelago navigatorem terrebat. Petrus de gubernatore ſecuritatem ſperabat: Domine, inquit, Petrus, ubi me dimiſiſti? Lumen tuum video, te adhuc non video. Laviſti pedes meos, terſiſti linteo tuo, lumine tuo aperi oculos meos. Quando poſſum videre te, niſi reſpexeris me? Ita permanſit in amaritudine lacrimarum, quouſque Dominus de portis erumperet inferorum. Petrus lacrimas fudit confeſſionis, & Judas oſculum porrigit falſitatis. &c.



MA-

MARIA MAGDALENA POENITENS,

in qua,

Sexus Muliebris, vitæ ſuæ licentiam, vanitatem, pravos mores & amores, ſcandala & laſciviam deteſtans, ſerio dolore delicta juventutis deplorat.

COgitanti mihi de MARIÆ MAGDALENÆ pœnitentia; flere magìs libet, quàm aliquid dicere. Cujus enim vel ſaxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrimæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Conſideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lacrimas obtulit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubeſcit. Hanc verò, quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat; illam eſſe Mariam credimus, de qua Marcus ſeptem dæmonia ejecta fuiſſe teſtatur. Et quid per ſeptem dæmonia, niſi univerſa vitia deſignantur? Quia enim ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, rectè ſeptenario numero univerſitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit. Sed ecce quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia ſemetipſam

ipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? sed meliùs trahentem dicam & suscipientem; quia nimirùm ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. *S. Gregorius Papa Homil. 33. in Evangelia.*

1.

QUousque furis Magdalis
Ceû plena Baccho Mænas?
Ardentes ceu mons Trinacris
Flammis succensa venas?
Contrariis contraria
Pellantur mala malis;
Infunde flammis maria,
Nè sis, ut eras, talis.

2.

Inter Amoris filias
Sum prima Magdalena,
Cupiditatum Ilias,
Et vanitate plena,
A qua septem dæmonia
JESUS nuper fugavit,
Et mentis ægrimoniâ
Mortiferam sanavit.

3.

Adeste, *quondam Virgines*
Nulli virorum nuptæ!
Vestras hic turpitudines
Infamiter corruptæ
Maturo questu plangite,
Et noxas lacrimate!
A me dolere discite,
Et castiùs amate!

4.

Sed Dolor, quantuscumque sit,
Nunquam satis dolebit,
Licèt immensùm luxerit,
Nunquam satis lugebit,
Tantum meum piaculum
Omnem excedit pœnam,
Æternum in ergastulum
Quod meruit Gehennam!

5.

Ædem paternam Magdalum
Sedem Nativitatis,
Turpe feci prostibulum,
Et haram fœditatis.
Ex hoc vocata Magdalis,
Ex hoc quoque Peccatrix,
Ex hoc dicar mirabilis,
Et pœnitens Amatrix.

P   6. Ego

6.

Ego ſum illa Magdalis,
Quam novit Palæſtina!
Ego tot offendiculis
Famoſa Heroina!
Ego, quæ vultûs gratiâ
Et oris blandimentis,
Tot viris ſtruxi retia,
Amoris argumentis!

7.

Ego Mundi mancipium
Ah nimiùm perjuri!
Cui præſtiti obſequium
Ceu nunquam perituri!
Nunc ſerò fraudulentiam,
Et nequam cerno dolos,
Nunc felleas delitias,
Plenóſque morte bolos!

8.

His ſpebus cor inanibus
Et animum Saginat,
Et aureis crateribus
Veneni mel propinat,
Inſine virus ſenties
Sævire per medullas,
Et exoptabis centies
Orcas bibiſſe nullas.

9.

Experta loquor: credite
Vera nimis querenti!
Mundi pompæ ne fidite
Tot dolis fraudulenti!
Montes promittit aureos,
Nec æreos largitur,
Dum numos donat plumbeos,
Argenteos mentitur.

10.

Nulla canna tam mobilis,
Nec flexilis arundo,
Nec ſalix tam nutabilis
Eſt in paluſtri fundo,
Ut falſa Mundi gaudia,
Fluxæque voluptates,
Quas ſubſequuntur tædia,
Mille calamitates.

11.

Orbis Idolum vanitas
Dat juſſa, leges, jura,
Mortalium huic cæcitas
Paret, flectitque crura,
Huîc thura dantur pellici,
Huîc hoſtiæ litantur,
Huîc criminum artifici
Honores apparantur.

12.

Huîc perſonato Protheo,
Et monſtro multifronti,
Vertumno huic antitheo,
Feræ chameleonti,
In omnes formas mobili
Mutabilíque vultus,
Lenæque deteſtaſtili
Divinus datur cultus!

13. Hæc

13.

Hæc illa veneficiis
Me suis dementavit!
Hæc philtris meretriciis
Tot viros expugnavit,
Tot Virginum prostituit
Pudorem, florem, mentem,
Sed & frontem perfricuit,
Nec pudet impudentem.

14.

Quoúsque vana Magdalis
Sequêre vanitatem?
Mille velatam vinculis
Formosam libertatem?
Quousque credis gloriæ
Fortunæ blandientis?
Quousque fidis gratiæ
Honoris mentientis?

15.

Infuso mollis nectari
Voluptæ propinantis?
Perjuro Mundi fœderi
Te circumvenientis?
Oblatis tot delitiis
Dulci conditis melle?
Tot fraudulentis basiis
Draconum plenis felle?

16.

Quidquid vides, est vanitas,
Est vanitas, quod tangis!
Perit Mundi felicitas,
Et nondum cauta plangis?

Est splendida calamitas,
Quod creditur beatum,
Est labilis beatitas,
Quam intercidit Fatum.

17.

Futuris quid auspiciis,
Vanisque fidis spebus?
Nondum visis delitiis,
Nec nasciturìs rebus?
Quid aureos Cupidines
Insana mente fingis?
Quid Cypridis imagines
In Fluxa nive pingis?

18.

Averso fugit gratia
(Ceû cerva pulsa) vultu!
Nam cuncta sunt fugacia,
Et obsita tumultu.
Calva vetustas, ancipus
Nullo tenenda pilo,
Et depilis est occiput
Nullo liganda filo.

19.

Centum licèt rudentibus
Ligaveris, abibit:
Firmâris adamantibus,
Eversa interibit.
Quæ nuper se Briseidem
Vitro vidit formosam,
Mox nigram dentes Thaidem
Anum cernet rugosam.

 20. Mun-

20.

Mundi hæc est illusio
Opum, formæ, honorum:
Hæc omnium confusio
Amorum, odiorum,
Sic Orbis inconstantiâ
Res omnes variantur,
Et hujus insolentiâ
Rotántur, dissipantur.

21.

Tam levi, tam instabili,
Mendaci, Fraudulento,
Tam labili, tam mobili
Omni vitæ momento,
Huic te potés concredere?
In hoc te stabilire?
Huic tam securè fidere?
Servire? Obedire?

22.

Innixus huic, deciperis,
Subducet ille fulcrum,
Cùm minimè credideris
Cades, hoc feres lucrum
Tuæ stultum fiduciæ,
Et creduli amoris,
Et illius fallaciæ,
Et subdoli favoris.

23.

Tuis illudens oculis
Grandes fingit honores,
Mendacibusque speculis
Opum pingit colores,
Multiplicat solatia
Per vitra polygona,
Et exstruit palatia
Crystalla per trigona.

24.

Ubi vitrum removerit,
Pompa perit colorum,
Tibique quòd illuserit,
Vana nubes vaporum,
quæ vento pulsa diffluit,
Ostendit *NIL FUISSE*.
Et tibi, qui sic placuit
Color, te fefellisse,

25.

Atris tempestas nubibus
Tonat in Oriente,
Crebris micat fulguribus
Visis in Occidente,
Momento fulgur spargitur,
Momento & disparet
Sic Fastus, qui vix cernitur,
Perit, moráque caret.

26.

Ah quantam in Amoribus
Vidi morositatem?
Et quantam in honoribus?
Sensi fugacitatem
Ah quantam non in opibus
Mentis anxietatem?
Quantam in rebus omnibus
Caducis fallitatem?

27. Quid

27.

Quid Veneris incendia?
Quid teneri Amores?
Doloris sunt impendia,
Et animi tortores:
Umbrarum captas plasmata
Et corpora ventorum,
Vana mentis phantasmata
In pharetris amorum.

28.

Amantium *spes*, *Pabulum*,
Et potus, *sunt Dolores*!
Quod semel fixum spiculum
Quos excitat dolores?
Clam lancinat suspicio,
Torquet zelotypia,
Acerbat æmulatio,
Perturbat ataxia. (*a*)

29.

Amor est pomum Sodomæ,
Intus plenum putore,
Typhus est hydrops animæ
Fœdo turgens humore?
Honorum procus (Ambitus)
Et leno dignitatum,
Est personata servitus
Anhelans famulatum.

30.

Vera quondam parœmia
Est amens quisquis amat:
Est blandiens insania.
Quam rarus Chiron sanat:
Dulcem licèt amentiam
Et melleum furorem
Ament, tamen amentiam
Quis neget, & furorem?

31.

Honor est uter flatibus,
Plenáque ventis bulla,
Est aquis pepo putribus
Et nux absque medulla,
Est putens, tectum nivibus
Recentibus fimetum,
Est intus plenum vermibus
Formosum sepulcretum.

32.

Opum congesta copia,
Et vis divitiarum
Est locuples inopia,
Et saccharum amarum,
Est sideratum foliis
Futilibus vepretum,
Est lappis, spinis, loliis
Refertum senticetum.

33.

Conchæ, gemmæ, corallia,
Sunt durum maris sputum,
Auro texta monilia
Sunt flavum terræ lutum,
Omnes thesauri montium,
Et opes fodinarum
Inanes spes Potentium,
Nugæque sunt nugarum.

33. Quan-

(*a* Græc. Confusio.

34.
Quantùm superba tumui
Elata dignitate?
Quantùm mei complacui
In vultûs venustate?
Credebam inter sidera
Me Deliam lucere,
Et præ me nihil cætera
Astra lucis habere.

35.
In me Solem amoribus
Insolitis ardere,
Et æmulis obtutibus
In me fixum hærere,
Mirari pulcritudinem,
Stupere comitatem,
Probare claritudinem,
Cultûs nobilitatem.

36.
Quin præ sorore Cynthia
Me cynthiam ambire,
Orisque mei labia
Amasium sitire,
Solam suis in oculis
Me ferre, me ferire,
Et radiorum jaculis
Amatam deperire.

37.
Unam esse Terrestrium
Et Principem Dearum,
Aut de censu mortalium
ME QUARTAM GRATIARUM,
Cui statua ex ebore,
Aut ære locaretur,
Aut Pario de marmore
Ara consecraretur.

38.
Sic major supercilio
Meo, mihi placebam:
Et cæteras consilio
Meo, præ me spernebam,
Solam dignam, quæ Paridis
Pomum oblatum ferret,
Solam dignam, quam Palladis
Nativitas deceret.

39.
Credebam inter arbores
Me Cedrum eminere,
Et, me absente, pauperes
Silvas omnes horrere,
Me solam hortis gratiam,
Et gloriam præstare.
Me solam, excellentiam
Nemoribus donare.

40.
Inter florum certamina
Me triumphare Rosam.
Et inter formæ Numina
Me Unicam formosam.
Me solam cunctis floribus
Fragrantiam afflare.
Pæstanis me coloribus
Formositatem dare.

41.

Inter volucrum agmina
Me solam Philomenam,
Vocunt nôsse discrimina
Amoris cantilenam,
Aut Aquilæ natalibus,
Et sanguinis splendore,
Valere me præ millibus
Antiquitatis flore.

42.

Ut inter animantia
Est Leo, & Leæna,
Formæ rebar præstantiâ
Sic esse Magdalena,
Fui! Et fui! mollibus
Amasiis Leæna.
Lascivis quos amoribus
Occidi procax lena.

43.

Sed nempe Cedros fulmina,
Et Rosas Aquilones,
Et verna florum germina
Brumæ vastationes
Sternunt, & emarcessere
Cogunt stellas hortorum;
Sic formam expallescere
Severa vis annorum.

44.

Hortorum Siren, mensibus
Vix binis Philomela,
Canit, mox versis cantibus
Fit lugubris querela,
Qua Terei ferociam,
Prognémque flet sororem,
Et Itys innocentiam,
Et perditum pudorem.

45.

Leones cadunt jaculis
Venantium Afrorum,
Montes, Silvæque sæculis
Fluentium annorum:
Fluxa cadit felicitas,
Fluxa cadit venustas,
Iuventus, robur, sanitas,
Divitiæ, voluptas.

46.

Quin ipsæ lætitudines
Suos habent mœrores,
Et mel amaritudines,
Et gloria dolores:
Honor inquietudines,
Divitiæ timores,
Sublimitas vertigines,
Securitas terrores.

47.

Nil nisi diversorium
Unum, hunc crede Mundum,
Momento transitorium,
Nullum habentem fundum;
Annescis evanescere,
Quæ tantò ambiuntur?

Et ut fumos rarescere
Quæ falsò blandiuntur ?

48.

Formosi vultûs claritas
Cum annis exolescit,
Vitæ vigor, & sanitas
Cum viribus hebescit,
Rosæ genarum defluunt,
Ruit Ver juventutis,
Ætatis flores abeunt
In fœnum senectutis.

49.

Omnis voluptas palpitat,
Quanquam palpat dolosa,
In sepulcralem cespitat
Scrobem Cypris formosa,
Pennatæ sunt libidines,
Alati sunt Honores,
Abscedunt ut hirundines
Ad Hyemis algores.

50.

In mari nulla navis est
Tam fugax pulsa vento,
Nec tam inconstans avis est
Quovis errans momento,
Nec ventus variabilis,
Nec globo nixa rota
Fortunæ, nec instabilis
Nubes à vento mota.

51.

Nulla testa tam fragilis,
Nec bulla, nata spumâ,
Nec fumus tam volatilis,
Nec vento rapta pluma,
Nec fluctus variabilis
Reciprocatus æstu,
Ut Amor est mutabilis
Formæ ruentis quæstu.

52.

Aurora cælum purpurat
Ortáque spargit rosas,
Auróque frontis fulgurat,
Terras reddit formosas,
Nubem adducit Aquilo,
Omnémque tollit cultum;
Unius morbi nubilo
Sic Nox, Amoris vultum.

53.

Vitrum splendet, sed frangitur
Vix levi motum tactu,
Testudinis abripitur
Sonus, Vulturni flatu,
Nix, glacies dissolvitur
Irradiante sole,
Formosa frons sic tollitur
Annorum fluxa mole.

54.

A fulmine concutitur
Cedrus, & exardescit,
Ignis in fumos solvitur
In cineres vanescit,
Cinis â vento rapitur
In aërem difflatus,

Sic

Sic altus Honor luditur
A Fato dissipatus.

55.

Exortus dies labitur
In noctem resolutus,
Mensis, & annus perditur
In *NIHILUM* volutus,
Æstate ver propellitur,
Et Æstas ab Autumno,
Hic Brumâ: vita tollitur
Sic Sortis â Vertumno.

56.

Rivi currunt, & flumina,
Nullo sistunt momento,
Verba fluunt, & nomina,
Nec apice retento,
Ventus volat & perditur,
Et nemo scit quò vadit,
Sic Mundi spes exstinguitur,
Et *Res*, in fumos abit.

57.

Per auras pennâ rapitur
Pernice velox avis,
Per fluctus maris volvitur
Argos propulsa navis,
Relicta nulla semita
In aëre, nec fluctu;
Sic impiorum orbita
Disparet plena luctu.

58.

O blandientûm somnia!
Non blanda somniorum!
Quàm stulta sunt hæc omnia
Theatra gaudiorum!
Quæ Regna Nox immania
Somno ludente donat,
Hæc risu lux inania,
Aut gemitu coronat.

59.

O quot falsis delitiis
Somni fefellit lusus!
Honoribus, divitiis
In suas fraudes usus!
Quæ Morpheus ludibria
Ut vera, menti finxit!
Hæc suis manè radiis
Sol oriens exstinxit!

60.

Et hæ Noctis imagines,
Fictæque somni scenæ,
Hæ falsæ pulcritudines
Illudant Magdalenæ?
Huc usque, cuî illuserat
Orbis, hæc ludet orbem,
Et quam dolo fefellerat;
Hæc dabit orbi corbem.

61.

In Palæstinæ Urbibus
Es mulier famosa.
O si & â virtutibus
Dici posses formosa!
Fama, quam continentia
Parit, est pretiosa,

Quam Pudor, Innocentia,
Rubor, est gratiosa.

62.

Anhelas si encomia
De te per urbem dici,
Fac tua dent præconia
Plateæ, fora, vici,
Hæc est, hæc illa Magdalis
Quondam formosa Lena,
Nunc lacrimarum rivulis
Luctu, dolore, plena.

63.

Adhúcne plena Numine
Terram non aversaris?
Peccatrix, turpi nómine
Quousque nuncuparis?
Nondúmne fastum sæculi
Et calcas vanitatis?
Nondum monet periculi
Te vox æternitatis?

64.

Quid usque, & usque sustines,
Ut nugæ te nugarum,
Et vanitatum oscines,
Lusus ineptiarum,
Ceu noxiarum Principem
Omni cassam virtute,
Ligent, premantque mancipem
Infami servitute?

65.

Quid segnis pœnitentiam,
Et lacrimas moraris?
Quid premis conscientiam?
Quid obsequi cunctaris?
Pulcerrimo, suavissimo
JESU te invitanti?
Dulcissimo, comissimo
MARIAM te vocanti? *
amanti.

66.

I. quid moraris? Numinis
Sequâre prompta ductum!
Cælestis cassum luminis
Non finas esse fructum!
Nulla te tardent tempora,
Menses, dies, & Horæ:
I, dum te vocant sidera,
Saluti non sunt moræ.

67.

Adspirat aura cælitûs,
Tu cordis pande velum!
Dum dius afflat spiritus,
Et suffragatur cælum,
Plenis perge remigiis
Et trana salum Mundi,
Nè Sorbeat naufragiis
Abyssus te Profundi.

68.

Absterge frontis nubila,
Et oculos serena,
Tua cerne pericula
Infelix Magdalena.
Dic vale pompis sæculi!
Dic vale Vanitati,

Dic

Dic præmiis diaboli,
Dic vale voluptati.

69.

Mollem averte faciem
A vultu comitatis,
Reflecte mentis aciem
Ad aram sanctitatis,
Fac tempori excutias
Crudelem mancipatum,
JESUQUE dulcis ambias
Suavem famulatum.

70.

Ite, rerum crepundia
Bullata caducarum,
Fluxarum ite gaudia,
Et spes illecebrarum,
Ite, mendaces gratiæ,
Fuci, fumi, vapores,
Ite, tectæ fallaciæ,
Adulteri colores.

71.

Heu pœnitet insaniæ
Lascivæ juventutis!
Turpis pudet infamiæ
Obscœnæ servitutis!
Jacturæ pudet temporis
Amoribus impensi,
Tantíque luxûs corporis
Delitiis accensi.

72.

Vah! lubrica impietas!
Vah! Cypridis calores!
Vah! noxia formositas!
In felleos amores!
O Lerna! unâ litterâ
Tantùm discreta Lena!
O Dionæa vipera,
Idalia Leæna!

73.

Puteus mortis ossarium,
Sepulcrum dealbatum,
Hoc vermium Carnarium
Tot phaleris ornatum.
Bufonum Seminarium
Tot gemmis expolitum,
Serpentium vivarium
Tot epulis nutritum.

74.

Cloacam hanc tot sordium,
Et scelerum sentinam,
Charybdim hanc tot cordium,
Scyllam plusquam marinam,
Hanc Circen, quæ tot juvenes
In bestias mutavit,
Medeam tot Jásones
Quæ Philtris inflammavit.

75.

Hoc pelagus cupidinum,
Et scopulum Amorum,
Abyssum tot libidinum,
Sirenem animorum,

Maleam

Maleam Innocentiæ,
Syrtim Virginitatis,
Procellam impudentiæ
Sepulchrum Puritatis.

76.

Quousque hoc proſtibulum,
O cælites, tuliſtis?
Cur in hoc Orci pabulum
Non vindices fuiſtis?
Cur ignis non infremuit?
Et improbam cremavit?
Cur terra non intremuit?
Et vivam tumulavit?

77.

Cur non hiàrunt inferi?
Et ream ſorbuerunt,
Cur non trifaucis Cerberi
Ora me glutiverunt?
Cur non ſum data Furiis
Æternùm crucianda?
Quæ tot cælum injuriis
Affeci fulminanda?

78.

Tua nempe me Bonitas,
Mi JESU, conſervavit,
Et nè perirem Charitas
Ad lacrimas paravit,
Tu retudiſti fulmina,
Nè fontem me ferirent,
Tu terram, ignes, flumina
Nè in me delævirent.

79.

Me miseram? Væ tempori,
Quò docta ſum amare!
Meóque procax corpori
Inſidias aptare!
Quêis velut auceps vinculis
Allectos irretirem,
Et gemmeis tendiculis,
Et ſericis vincirem.

80.

Quò puritatis lilium:
Liguſtrum caſtitatis?
In quod iit exilium
Olor virginitatis?
Quot quot meis inſidiis
Doloſa captivavi,
Tot veluti præſtigiis
Hamavi, & amavi!

81.

Cùm inter Choros Virginum
Recordor me ſtetiſſe,
Et nihil turpitudinum
Puram intellexiſſe,
Nihil quid ignes Veneris,
Laſciuus quid Cupido,
Anniſque nulla teneris
Gravis eſſet Libido.

82.

Innubem conſcientiam
Sereno falſa vultu.

Mode-

Modeſto innocentiam
Veſtis teſtatur cultu,
Tunc nulla me triſtitia,
Nec dolor occupavit,
Nec mentis repugnantia
Inſontem perturbavit.

83.

Aſt cùm primis igniculis
Me Cyprius Amator,
Et clandeſtinis ſpiculis
(Mollis Puer) venator
Cor innocens confixerat,
Senſi vulnus inflictum,
Et, quo me ſauciaverat,
Fixi mucronis ictum.

84.

Vix tacta ſenſi ſerpere
Potens teli venenum,
Et virus invaleſcere,
Sinúmque flammis plenum,
Totámque me incendio
Inſolito flagrare,
Pudoris cum diſpendio
Sudare, æſtuare.

85.

Tunc omnibus licentiæ
Patebat auſis limen!
Virtutis, nec malitiæ,
Ullum fuit diſcrimen;
Tunc quà data porta rui
In ſcelerum ardorem.
Omnemque levis erui
Infamiæ pudorem.

86.

Ex hoc primus ſcaturiit
Fons omnium malorum!
Ex hoc fæx omnis prodiit,
Et ſanies putorum.
Hinc velut de cadavere
Pus ſordium manavit,
Et peſtilenti ulcere
Gangræna verminavit.

87.

Debueram â teneris
Arcus declinaviſſe
Cupidinis, & Veneris
Conſortia fugiſſe,
Nec tam incauta fidere
Verborum comitati,
Periculoſæ credere
Nec me Societati.

88.

Sed nempe mentis levitas
Induxit imprudentem,
Et juventutis cæcitas
Obtenebravit mentem,
Ignotæ vitæ novitas
Me fecit delirare,
Et rerum curioſitas
Negatis inhiare.

89.

Procul ab iſtis ignibus
Præſtabat me fuiſſe!

Et

Et à turpitudinibus
Remotam sapuisse,
Ah! si liceret pristinam,
Ætatem revocare!
Et vitam hanc serotinam
In primam transmutare!

90.

Non licet: sed hoc liceat
Ut possim pœnitere.
Et quod egi, displiceat,
Et placeat dolere!
Possum: & volo perditum
Pudorem deplorare.
Et pedibus suppositum
Amorem conculcare.

91.

Calço, rumpóque vincula,
Quêis capta colligabar,
Lasciva frango spicula,
Quêis læsa vulnerabar,
Ignes restinguo frigidâ
Et lacrimis calores,
Posthac futura rigida
Tyrannis in amores.

92.

Ergo sat datum sceleri,
Et criminum furori,
Satìs superbo velleri,
Et vestium colori.
Sat exornata solibus
Sunt tempora pavonum.
Sat ventilata mollibus
Sunt plumis struthionum.

93.

Valete cirri capitis
Comarum undulati,
Non ità posthac stabitis
In orbes circulati,
Nec intertextis floribus
In conum assurgetis,
Sabæis nec odoribus
Tincti superbietis.

94.

Valete, quas superbia
Artes fecit Magistra,
Et instrumenta impia
In luxum calamistra,
Acus crinales (spicula
Cupidinis) gemmatæ,
Formæ censores, specula
Vitro reciprocatæ.

95.

Valete comæ spuriæ
Cæsaries mentitæ,
Vos illices luxuriæ
In fronte margaritæ,
Et vultus alabastrino
Candore cerussati,
Et bis excocto coccino
In rosas purpurati.

96.

Vos nobiles murenulæ,
Spinther, torques, monile,

Toreu-

Toreumatum sirenulæ,
Cimeliaque mille,
Et auribus conchilia,
Gemmæque pretiosæ,
Cleopatræ monilia,
Didoniæque rosæ.

97.

Valete probra, rutili
Ex arte crispi crines,
Labore quos inutili
(Superbiæ Erynnes)
Officiosæ famulæ
In luxum servientes,
Suæ struxerunt Herulæ
Ad nutum obsequentes.

98.

Valete greges juvenum,
Vale turba Virorum,
Valete Chori Virginum
Meorum fax probrorum,
Ornare docta Thaidem
Hanc, spurio decore;
Fucare solers Laidem
Hanc, improbo candore.

99.

Pudet! vos testor sidera!
Pudet formositatis!
Et pudet per tot scelera
Commissæ levitatis!
Tot prétiosa tempora
Vitæ frustra fluxisse,
Et juventutis fœnora
Tam turpiter perisse.

100.

Pudorem, dolor sequitur
Ah nimius, occultum!
Hoc mens, & Cor concutitur,
Mœstúmq; frangit vultum!
Et me objurgat tacitus
Turpis improbitatis,
Meíque me interitûs
Monet, & cæcitatis.

101.

Ver vitæ, datum luxui,
Primæque flos ætatis
Impensus molli victui,
Et frœno libertatis,
Quod placuit hoc libuit,
Quod libuit, licebat,
Quod licuit, non puduit,
Egi quod non pudebat.

102.

Hinc thalamum eburneum
Auróque incrustatum,
Toralliúmque plumeum,
Et sericum grabatum,
Mollémque torum premere
Cervical olorinum,
Auroram nunquam cernere,
Nec solem matutinum.

103.

Hinc adusque meridiem
Somni fovere moras,
Bis senas & pigritiem
Extendere per horas;
Primum post somnum otium
Fuit, tractare mundum
Muliebrem, negotium,
Jentaculum, secundum.

104.

Sol luxit cùm adultior
Per orbes fenestrarum,
Mox advocata doctior
Corona famularum
Et ornatrices lectulum
Solicitæ ambire;
Lymphas, saponem, speculum
Et pectines accire.

105.

Hæc vittas noctis solvere,
Hæc crines explicare,
Hæc intricatos comere,
Hæc comptos colligare,
Ligatos illa nectere,
Et in cirros crispare,
Hæc crispos auro cingere,
Et gemmis innodare.

106.

Inspergit illa pulveres
De Cyprio odore,
Eoos illa cineres
De Nabathæo flore,
Illa radices Arabum
Contusas in lomenta,
Sabæum illa balsamum,
Et Persica unguenta.

107.

Hæc supparum Sidonium,
Et mammillare pictum
Imponit, illa Tyrium
Dat humeris amictum,
Hæc Cycladem purpuream
Acu Phrygum stellatam,
Hæc lumbis pallam auream
Argento fimbriatam.

108.

Eburneam nexilibus
Hæc cingit margaritis
Cervicem, hæc monilibus
Ab Erythra petitis,
Hæc Hyacinthos cærulos,
Saphiros, Uniones,
Et aure facit pendulos,
Frontéque botryones. (b)

109.

Hæc manus ornat annulis,
Et brachia armillis,
Articulos carbunculis,
Topaziis, Beryllis;
Sardonyches, & smaragdos
Hæc indit, Adamantes,
Iaspi.

(b Gemmæ botrorum formæ.

Jaspides, chrysolithos,
Ut stellas fulgurantes.

110.

Sic compta Venus nitui
Hoc pretiosa cultu,
Meóque multos rapui
In corruptelam vultu,
Ibam: præibant famuli,
Sunt famulæ sequutæ,
Portentum facta populi,
Turbæque, luxu mutæ.

111.

Nobilioris comptulus
Oris syrma levabat
Sequens Heram Ephebulus,
Et cautus observabat,
Ne vestis humum verreret,
Aut inquinaret lutum,
Néve pulvis inficeret,
Aut sordidaret sputum.

112.

Tunc me Phænicem unicum
Rebar formositatis,
Et ornamentum publicum
Et florem Civitatis,
Tunc Deam excultissimam
Dearum terrenarum,
Mulierem comptissimam
Nympharum patriarum.

113.

Ah! ah! quantùm evanui?
Quantùm demens erravi!
Quantùm audax desipui,
Cùm Deam me putavi?
Quæ capra sum olentibus
De capris Dux caprarum,
Aut princeps prædatricibus
Lupis, lupa luparum!

114.

Corpus fragrabat balsamo,
Ambra, Moscho, Zibetho,
Nardo, croco, & cinnamo,
Et Cyprio roseto,
Perso halans aromate,
Arabicóque flore
Conspersum diapasmate
Et Damasceno rore.

115.

Hircum olebat anima,
Et infernale laser.
Orco devota victima
Et verminans cadaver,
Fœdis plenum putoribus
Merum spirabat lethum,
Stygis plenum fœtoribus
Plutonium fimetum.

116.

Mentita vultum Virginis
Manus, pectus, Puellæ,
Monstrum fui sphinx hominis
Ficta vocis loquela:
Fui crudelis bestia
Mendax ore Hyæna,

Quæ tot, tectâ sævitiâ,
Occidi Magdalena.

117.

Ut sunt notata mortibus
Magni fluenta Nili,
Infamant, quæ funeribus
Prædones Crocodyli,
Humanis, qui corporibus
Pascentes lacrimantur,
Sic â meis amoribus
Tot capti, devorantur.

118.

Nam quot crudelis glutii,
Quot animas voravi?
Quot in sepulcra vitii
Immersas deturbavi?
Quot perdidi blanditiis?
Quot melleis loquelis?
Quot dulcibus illiciis?
Quot mollibus labellis?

119.

Quot in profundum Tartari,
Et Barathrum Abyssi
Amoris ope barbari
Tyranno me sunt missi?
Quot serò nunc post funera
Infausti detestantur?
Et me, & mea scelera
Lamentis execrantur?

120.

Est nempè magnes cordium
Venustas puellaris,
Et quæ trahit ad vitium
Forma, Stella Polaris:
Et quæ venenat oculis,
Et vulnerat afflatu,
Et quæ prædatur oculis.
Et perimit affatu.

121.

O Magdalis! O Magdalis
Fuci veneno picta!
O Palæstinæ Idalis
Telis amoris icta!
Tot inclementer vulnera
Multiplicas amorum,
Quot tua vibrant sidera
Sagittas oculorum.

122.

Habet suas fallacias
Amor, & imposturas,
Habet dolosas gratias,
Et catas celaturas,
Habet & artificia,
Et callidos venatus,
Habet compta mendacia,
Et comicos ornatus.

123.

Amores ut accenderem,
Accensos ut foverem,
Et languidos allicerem,
Et desides moverem,
Larvam, & mimam indui,
Odisse simulavi,

Vultu

Vultu tristis ingemui,
Et ficta lacrimavi.

124.

Nunc me fingebam frigidam,
Et ignes aversari,
Et in amores rigidam,
Et coli dedignari,
Castúmque gelu pectore,
Et glaciem fovere,
Totóque nivem corpore
Severa Virgo ferre.

125.

Fictâ sexûs formidine,
Ceu flore non amisso,
Vultum tegebam syndone,
Levique pectus bysso,
Et quò videbar castiùs
Defendere pudorem,
Tantò ardebam fortiùs
Accendere amorem.

126.

Solem meum fallacibus
In pectore latentem
Scitè tegebam nubibus,
Ne propalàm ardentem
Incauta vultu proderem,
Sed radios celarem,
Et quod in corde gererem
Incendium velarem.

127.

Sic Pantomimam ludere
In artibus amandi,
Et dextrè novi tendere
Insidias venandi,
In formas omnes vertere,
Blandire docta verbis,
Irásque scitè fingere
Obtutibus acerbis.

128.

Aut quos vultûs humanitas
Nequivit devincire,
Hos potuit severitas
Versuta irretire,
Quos frangere caloribus
Nequivi reluctantes,
Hos lacrimarum roribus
Mollivi adamantes.

129.

Ah! quot mentis deliria,
Quos questus excitavi?
Profunda quot suspiria
Mœrentibus afflavi?
Ridebam clam amentiam,
Et animi torturas,
Meam laudans astutiam,
Et doctas imposturas!

130.

Vos specula crystallina,
Binæque frontis pilæ,
Vos plena flammis lumina,
Vos igneæ pupillæ!
Vos scintillantes fomites
Quot ignes excitâstis?

Quot alienas segetes,
Et agros cineràsti?

131.

Quanto frontem excolui
Labore liliatam?
Ebur genarum polii
Nivémque miniatam?
Odoro lota smegmate,
Et balsamo peruncta,
Toto nitebam capite
Manus, pedésque tincta.

132.

Et hæ fuêre nexiles
Catenæ captivorum,
Hi funes auro textiles
Amantium servorum!
Has aves visco faciles
Promptásque captivavi,
Hos pisces, hamis, nobiles,
His pronos inescavi.

133.

Somno, mensis, & lusibus,
Et jocis incumbebam,
Pronámque voluptatibus,
Me penitùs dedebam,
Curarum fuit maxima
Amare, & amari,
In otio dulcissima
Vita, delitiari.

134.

Interea centoculus
Me digitis monstrabat
Prætereuntem populus,
Et sibilis notabat,
Formam laudabant juvenes,
Et oris venustatem,
Splendorem vestium senes
Er cultûs dignitatem.

135.

Pudicæ luxum Virgines
Infamem sunt exosæ,
Et illices cupidines
Tulêre stomachosæ;
Hæc probrum, nostri generis,
Et dedecus pudoris,
Mancipiúmque veneris,
Ajebant, & ruboris.

136.

Sed cura nulla nominis,
Nec famæ me tenebat,
Nec justus timor Numinis
Procacem percellebat,
Nulla stirpis infamia
A luxu deterrebat,
Nec Domûs ignominia
A noxis prohibebat.

137.

Sic ibam: nolo comites,
Vos Soly meæ Nymphæ,
Stultos vitate tramites
Amorum Paranymphæ;
Sic me vixisse pœnitet,
Et pudet deliquisse,

Et

Et quidquid culpam continet
In scandalum egisse.

138.

Exemplo meo sapite
Sioniæ sorores,
Intaminatæ fugite
Idalios calores;
Læta cæcum Cupidinem
Sequuta, cæca fui,
In scelerum voraginem
Sic malè cauta rui.

139.

Augustæ Urbis Æliæ. (c)
Et incolæ murorum
Nurus, Matronæ, Filiæ,
Meorum delictorum
Testes, vestræ ignosite
Insontes Magdalenæ,
Et veniam concedite
Sonti, dolore plenæ.

140.

Cùm pristinæ redordior
Retexens vitæ telam,
Et ad justam maturior
Examino libellam,
Insanientis perditas
Ætatis levitates
Vultu confundor: cognitas
Gemens improbitates.

141.

Confusa vultu, pristinum
Abominor amorem,
Odi fastus, & fascinum
In Gnidium furorem,
Odi profanam Veneris
Et arceo cohortem,
Odi vulgus, quod teneris
Propinat labris mortem.

142.

Odi fucos, & Cypria
Ficti venena vultûs,
Et execror opprobria
Superbioris cultûs
Incendia libidinum,
Fomenta voluptatum,
Augmenta turpitudinum,
Commenta fœditatum.

143.

Odi mundi divitias,
Argentum, gemmas, aurum,
Muliebres delitias,
Et cultus puellarum,
Odi, quidquid odit Deus,
Et cælum execratur!
Amo, quidquid JESUS meus
Amat, & amplexatur.

144.

Huc usque; fui Magdalis
Vulgo, & Urbi nota,

(c Aelia est Hierosolyma; Adrianus Junius Nomenclat.

Fui Peccatrix nobilis
  Immersa noxis tota;
Nota: ast fiam notior
  Non uni tantùm Urbi,
Sed toti jam famosior
  Quà latè patet, Orbi.

145.
Fiam! vos testor sidera!
  In quæ deliqui stulta!
Inter saxorum rudera
  Semi-viva-sepulta,
Ignota licet omnibus,
  Sciar tamen latere,
Et in abstrusis montibus
  Amarùm pœnitere.

146.
Dolori meo spacium
  Vasta dabit Eremus,
Et in meum palatium
  Desertum cedet nemus,
In cavo specûs marmore
  Meum figam sedile,
Et in cavernæ carcere
  Exilii cubile.

147.
Pro culcitra bombycina,
  Et cygneo torali,
Strata texentur juncina,
  Canna pro cervicali,
Corpus assuetum mollibus,
  Delitiis nutritum
Duris stringetur funibus,
  Vigiliis attritum.

148.
Quæ membra petulantiis
  Lascivis peccavêre,
Hæc flagris & ciliciis
  Cogentur pœnitere,
Gula famebit, epulis
  Ad luxum enutrita,
Sitim aqua de scopulis
  Sedabit expetita.

149.
In vasta solitudine
  Erunt commilitones,
Perenni consuetudine
  Tigres, Pardi, Leones:
Judicii memoria
  Jugis percellet mentem,
Tristis mortem calvaria
  Suspendet imminentem.

150.
Hic Angelis spectaculum,
  Deo, Mundóque fiam,
Hominibus miraculum
  Novam calcando viam;
Dæmonibus ludibrium
  Quondam, lusúsque facta,
Nuncius, vim, & imperium
  Excessi, Deo nata.

151. Hic

151.

Hic lacrimarum clepsydra
Tota ibo in fontes,
Meíque luctûs arbitra
Sola, rigabo montes,
Aquas stillabunt oculi
Ubertim lacrimantes,
Sicci madebunt scopuli
His imbribus manantes.

152.

Hoc erit exercitium
Reorum oculorum,
Sed & suum officium
Habebit, cor dolorum,
In JESUM suum ignibus
Hoc jugiter flagrabit,
Flammis ardens perennibus
Pereniùs amabit.

153.

Sed Amor quantus quantus sit,
Nunquam satis amabit.
Nec unquam dicet sufficit,
Sed, *AMPLIUS*, clamabit,
Ah JESU meus! amo te!
Nec desinam amare,
Donec detur, amando te
Non ampliùs spirare.

154.

Ast quamdiu spiravero,
Nil nisi Te spirabo,
JESU mi! Te desidero,
Et nil desiderabo,
Præter Te: Sacrificium
Hoc *Cor contribulatum*,
Amoris in delitium
Tibi sit consecratum.

Eadem

MARIA MAGDALENA POENITENS

Rhythmo alio celebrata.

S. Bernardus Abbas. in festo B. Mariæ Magdalenæ. fol. mihi 243. col. 1.

HOdie misericordia & veritas obviaverunt sibi, & multitudo miserationum Domini in peccatricem fœminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatricis & menstruatæ manibus attrectatur; Deúmque atque

Dei Filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, & vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, & redit ad cor: & magnitudinem scelerum lacrimarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, & obsequiorum justitiam remuneratorius ille majestatis oculus felici dedignatione non inspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, & oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrorat ungventis. *Et paulò post.*

Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantiâ cælestis ille conventus aspergitur, salvantémque & salvandam tota misericordiæ dulcedo pertingit. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine in peccatricis confessione. *Ibidem paulò ante medium.*

Unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit; est & melius, quod eadem (si tamen eadem) supra caput recumbentis effudit: est & optimum, quod & ipsa præparavit toti corpori Christi. *Primum* ungventum contritionis est de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius, qui ambulat super pennas ventorum; hic adorat Maria in loco ubi steterunt pedes ejus. Steterunt, inquam, quia validissima amoris manu pedem utrumque tenuit, donec utrumque perungeret, & audiret criminum remissionem & dimissionem in

pace

pace. Remittuntur, inquit, tibi peccata; & vade in pace. Magnam prorſus miſeriam, magna miſericordia diluit & abſtergit, & hoc quidem feſtinanter, quia ſinè ullo intervallo conjunguntur & lacrimæ peccatricis, & miſericordia Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur: ut & de præterito ſit ſolicita, & ſecura de futuro. Pedes iſti ſunt miſericordia & judicium: quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. *Ibidem: circa medium.*

Vide Mariam judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis & laſciva mulier convivantium faciem non attendit, ſed extenſo corpore provolvitur pedibus Majeſtatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & miſericordiæ pedem labiis impreſſioribus oſculatur, in cujus ſpe firmiter inhæret veſtigiis Redemptoris, donec audiat, remittuntur tibi peccata tua. Sanè pretioſum unguentum, quo non ſolùm terrena domus, ſed etiam cæleſtis aſpergitur. *Ibidem in fine.*

Quis deſperare debeat, tanta peccatrice non ſolùm veniam, ſed & gloriam conſequente? Ipſa hodie intercedat pro peccatis noſtris, & placatum nobis reddat judicem noſtrum, amicum ſuum, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula.

S. Auguſtinus ſerm: 58. *de Tempore: Feria V. Poſt cineres de Pœnit: ſerm:* 2.

Meretrix quoque illa, quæ pedes Domini lacrimis lavit, & capillis ſuis exterſit, ubi cæleſtem medicum

dicum venisse cognovit, ultrò se ingessit in domum; ubi rogata non fuerat; & quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem: & ideò audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimissa. Nec ipsa se ad hoc reservavit, ut in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret, sed dum adhuc peccare poterat, sic Deo inspirante, voluit peccata delerere; ut illam de adulteriis suis non necessitas subtraheret, sed voluntas.

1.

Ergo Peccatrix Magdalis
Infamis à tot scandalis
In Civitate ferar?
Charydis Innocentiæ,
Et Scylla continentiæ
Nondum afflicta querar?
Sat datum est amoribus,
Honoribus, favoribus,
Nunc dandum cor doloribus!
J. Luxus, ite Scandala,
Posthac non ero Magdala.

2.

Vanæ Fortunæ gaudia,
Tripudia, diludia,
Delitiæ valete!
Color vester est spurius,
Posthac lætabor puriùs,
Spe nulla me tenete!
Sat datum petulantiæ,
Sat vanæ arrogantiæ,
Nunc danda mens mœstitiæ,
Posthac non ero Magdala,
Quam prisca lædant jacula.

3.

In aure nullus tinniat
Choraules, nisi finiat
Cum *CRUCE vox peccavi!* *
Sistra, fides, testudines,
Turpis amoris oscines
Ad nauseam tractavi.
Sat datum est blanditiis,
Choræis & lætitiis,
Blandis plectri nequitiis,
Posthac non ero Magdala,
Choragiens ad cymbala.

4.

Circus, lusus, Comœdia,
Mimus, scena, Tragœdia

Hinc

* Signum musicum crux

Hinc procul sit profana;
Nunc ipsa mecum feriam
Agam vitæ Tragædiam.
De MAGDALENA vana.
Sat luminum licentiæ,
Sat datum est ineptiæ,
Vultus dandus modestiæ,
Posthac non ero Magdala,
Procax inter spectacula.

5.

Odoræ florum animæ,
Succorum vires optimæ,
Moschus, Ambra, Zibethum,
Procul à meis naribus,
Mihi olebit chariùs
Putens cadaver, lethum.
Sat datum est odoribus,
Vernis hortorum floribus,
Vanis auræ vaporibus,
Posthac non ero Magdala
Pæsti fragrantis æmula!

6.

Fomenta tot libidinum,
Incendia cupidinum,
Convivia amœna,
Spumantia cellaria,
Regalia bellaria
Arrodunt ut venena!
Sat datum est lautitiis,
Tragematum cupediis,
Nunc standum est inediis,
Posthac non ero Magdala
Tam vilis inter pocula.

7.

Texta bombycis mollia,
Cygníque cervicalia,
Et dives auro byssus,
Sericea tapetia,
Mundi fallacis retia,
Sunt scelerum abyssus,
Sat datum est lætitiis,
Corpus assuetum vitiis,
Domandum est ciliciis,
Post hac non ero Magdala,
Gemmata inter stragula.

8.

Vultum quem pinxi stibio,
Et cerussatum minio,
Fucóque purpuravi,
Illum pallori vendidi,
Et maciei tradidi,
Mortíque destinavi;
Torques, gemmæ, corallia,
Inaures & monilia
Abjecta sunt ut vilia,
Posthac non ero Magdala,
Quam fuci pingat macula,

9.

Stirps, Genus, alta dignitas,
Et Principum affinitas,
Segésque titulorum,
Coronæ, serta, Laureæ,
Calamitatis aureæ,

Hæ

Hæ ſpinæ ſunt dolorum,
Sic victrix tranſitoriam
Mundi calcabo gloriam,
Et occinam victoriam.
Poſthac non ero Magdala,
Manceps Honoris aſſecla.

10.

Auri talenta millia,
Quæ terræ gignunt ilia,
Et flammis excoquuntur,
Sunt ſplendida mendacia,
Subtus latent fallacia
Venena, quæ teguntur,
Auro venenum bibitur,
Auro libertas venditur,
Auro Deus proſcribitur;
Poſthac non ero Magdala,
Quam ligent auri vincula.

11.

Palatiorum culmina,
Sua formidant fulmina,
Et trepidant ruinas;
Eremi fiam incola,
Exul mundo rupicola,
Nullas verebor minas!
Hîc procul ab invidiis,
Immunis ab inſidiis,
Et complicum præſtigiis,
Poſthac non ero Magdala,
Mundi fallacis incola.

12.

Hîc Cypridis mancipium,
Cavernis claudar rupium,
Et ſpecus habitabo:
Hic lacrimarum fluctibus,
Perpetuíſque luctibus
Noxas plorans plorabo:
Eremi ſalve ſanctitas!
Mundi vale inanitas!
Et vanitatum vanitas!
Poſthac non ero Magdala,
Mundi jocantis fabula!

13.

Ergo valete, Hi & Hæ,
Et ſocii, & Sociæ,
Non placet ſic perire!
Nolo his tempeſtatibus,
Et turbulentis flatibus,
Æternùm interire;
Deo ſatis illuſimus,
Mundo ſatis indulſimus,
Virtuti nil conceſſimus,
Poſthac non ero Magdala,
Sed JESU mei famula!

Mulier

Mulier quæ erat in civitate Peccatrix, stâns retrò secùs pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat. *Luc.* 7. *v.* 37. & 38.

CHristus peccatores innuens ait: (*a*) Ego veni in mundum, ut non pereant, sed ut vitam habeant, Joan: 12. 47. Et rursus: Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvum faciam. Et rursus: Animam meam pono pro ovibus meis. Joan: 10. Hæc verba cùm audisset meretrix, tanquam aromata undiquaque divulgata, & omnibus qui digni erant, odorem fundentia, cùm illi mala opera sua in mentem venissent, ea in se damnavit, suam deplorans infamiam, cùm secum cogitâsset, quanta sibi ob hæc scelera imminerent mala, multa enim tristitia, multúsque dolor illic eos, qui meretriciè vivunt, invadit: horum metu pulsa mutata est meretrix, nec jam ampliùs meretrix fuit, sed continuò Virgine honestior facta est. Etenim sedens adversus se ipsam judicium exercuit, & seipsam condemnans, dixit: Hei mihi peccatrici, quousque tandem â malis me non sejungam? Cùr non cogito quanta sit misericordia Dei, cùm propter me tanquam ovem errantem vias circumeat Dominus? Propter me siquidem inclinavit cælos, & descendit, cùm Peccatore Pharisæo cibum sumit, qui dat escam omni carni: Appropinquat peccatori, qui omnis expers est peccati: mensæ fit particeps, qui omnes nutrit: & jacet in terra, qui super Cherubin gestatur, & pecca-

(*a* S. Joann. Chrysostomus tom. 5. or. 8. ad meret. mihi fol. 1297. & 1298.

peccatoribus omnibus Chirographa peccatorum ultrò largitur. Quid etiamnum exſpectas ? Aude anima mea, accede: non venit ut ſalvos faceret juſtos, ſed peccatores. Hæc cùm illa dixiſſet, continuò à menſa Chriſti bonus odor indulgentiæ ad meretricem pervenit, olim incontinentem, nunc temperantem; olim feram, nunc ovem, olim ſervam peccati, nunc liberam pœnitentiâ. Et ſtans apprehenſionis promptitudine, animo venit ad ipſum, ac cernens Dominum apud menſam, non petiit micas, ut Chananæa, ſed ipſum vitæ panem totum complexa eſt. (b) Nam Chananæa quidem pro filia â dæmonio vexata precabatur, & cùm audiret canis, ut micas accipere liceret, petebat. Hæc autem filiam non habebat â dæmonio obſeſſam, ſed totum corpus ab impudicitiis obſeſſum. Ac Chananæa quidem omninò clamabat: Miſerere mei, fili David; meretrix autem nec vocem quidem mittebat; ſed cùm probè ſciret, Deum omnia noſſe, tacens ore, corde loquebatur ei, qui corda novit, & plorans deoſculabatur pedes, atque ità Dominum ad compaſſionem inflexit. &c. Cum recumberet JESUS in Domo Phariſæi, mulier quædam in civitate peccatrix audivit. (c) Et cùm cepiſſet alabaſtrum unguenti pretioſum, ingreſſa, pedes ejus ungebat, & lacrimis rigabat, capillisque tergebat. Magnum ſtudium mulieris, magnus ad ſalutem curſus, magna contentio animi, qui ſe periculo expedire cupit; audiit, & properavit, ad pœnitentiam animum appulit, hæc ſecum reputans. O peccatrix anima,

(b Matth. 15. (c Luc. 7.

ma, térque misera, quid exspectas? quid suspenso animo differs? Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: ecce tempus, quod quærebas, advenit; ecce adest, qui solvit, & tollit, & abstergit peccata: adest unguentum, quousque tandem in luto, ac fœtore hæres? Perge ad illum, etenim propter te venit ille; abijce vetera illa vana, & dilige, quæ nunc sunt tempestiva; illa detestabilia, hæc desiderabilia, & æterna. Odio prosequere pristinam mentem, unge unguento Creatorem; blandire illi, qui te salvam facere vult. Invenisti amatorem potiorem omnibus, quos unquam habueris, amatoribus. Illos osculata multa tibi peccata cumulâsti, hunc si osculata fueris, etiam priora peccata, quæ ex illis contraxisti, ipse condonabit. Ità secum ratiocinata in ædes irrepsit, aitque: Recedo à veteribus malis, & nova invenio bona. Valedico, & abdico me malo, atque conjungor bono: audivi etenim dicentem Davidem, (*d*) accedite ad eum & illuminamini; & dominum ipsum dicentem: Appropinquate mihi. & ego appropinquabo vobis. (*e*) Appropinquo & ego Deo, sed vereor accedere peccatrix, ad eum, qui peccati expers est, lutum ad unguentum. Verùm enim verò habeo misericordiæ pignus vocem ejus dicentem: Venite ad me omnes peccatores, & ego reficiam vos. (*f* Proficiscor igitur: non me probro afficit, non dicit mihi, Recede â me peccatrix, hactenus in tenebris vixisti, & nunc me justitiæ solem visum venisti? Verùm quid differo? Accipiam unguentum, & ad eum pergam, *P*harisæi domum mihi Baptisterium faciam, & ex

fluentis

(*d* Psal. 33. 5. (*e* Jac. 4. (*f* Matth. 11.

fluentis lacrimarum piſcinam mihi in lavacrum parabo. Ex alabaſtro unguenti Sigillum fidelium in fronte ſumam, & per pœnitentiam mundabor â peccatis, ac medicæ orationis operâ laqueos evadam diaboli, &c.

Cúmque accepiſſet fidelis meretrix unguentum, perindè quaſi vocata eſſet, ad ædes Phariſæi properavit. Ac Phariſæus quidem, cùm meretricem videret JESU pedes tenentem, eóſque ungentem, totámque domum unguenti odore repletam, ſic apud ſe ratiocinabatur, dicebatque: Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Et mulieris confidentiam vituperabat, ùt quæ impudenter acceſſiſſet, eúmque attigiſſet: & Dominum ipſum reprehendebat, ut qui inconſideratè omnes ad ſe accedentes exciperet. Ignorantiæ igitur eum condemnans apud ſe dicebat. Quid hoc rei eſt? Illum ego tanquam ex Prophetis unum ad prandium vocavi, & hanc, quam omnes, qui urbem incolunt, noverunt; quam quisque perſpectam habet, iſte non novit. Si Propheta eſſet, ſciret quænam hæc mulier ſit. Chriſtus autem, qui ſcrutatur corda & renes, cogitationes Phariſæi videbat, in varias partes agitatis ejus conſiderationibus fit intus tranquillitas Chriſtus, aitque ipſi: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille, ait: Magiſter dic. Ait ipſi. Dignum tibi reprehenſione viſum eſt, quòd hanc peccatricem non ſim averſatus, ſed exceperim: dignum tibi reprehenſione viſum eſt, quòd non abegerim, ſed juſtificârim: reprehendendum videtur, quòd non iratus fuerim, ſed placatus: reprehendendum videtur, quòd eam, quæ ob peccata

ſua

ſua fugere volebat, revocârim? Cùm deberes potius gratulari lapſo, & mox reſurgenti, dolorem inurunt tibi aliorum bona. Veruntamen non eſt rationi conſentanea reprehenſio tua, confer hoc cum eo, quod tibi narraturus ſum. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Cùm verò egeſtate premerentur, ambobus chirographa ſua ultrò reddidit fœnerator. Quis ergo illorum plùs diligere debet? Ille autem ait: Æſtimo quia is, cui plus donavit. Ait ipſi: rectè judicaſti. Deinde converſus ad mulierem, ait Simoni, vides hanc mulierem, de qua tu ſpem omnem abjeceras: tu meos lavare pedes non es dignatus: hæc autem lacrimis pedes meos rigavit: oſculum charitatis mihi non dediſti, hæc autem non ceſſavit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem ungvento unxit pedes meos. Verùm diſce O Phariſæe, quis ſit fœnerator, & qui debitores. Ego ſum fœnerator duorum, tui, & illius, nec veſtri ſolùm, ſed & omnium mortalium. Ego omnibus largitus ſum gratìs, quæ à me acceperunt: animam, ſpiritum, Corpus, ſenſum, cognitionem, motum. Creditorem itaque â te repetentem in ſolidum, quæ accepiſti, ſi non habeas, unde reddas, ora, ut debitum tibi donet: quod ſi neque reddere poſſis, neque orare digneris, ut tibi donetur, licèt non erubeſcas, dum garrulus es, & contendis, tace ut hæc meretrix, quæ multa numero eſſe videns debita ſua, dixit apud ſe: quid dicam? aut quid reſpondebo? ſi dicere velim, non debeo, ſcit ipſe me debere, & à quo tempore referendis rationibus ſim obnoxia. Itaque cùm

R probè

probè sciret, eum omnia nôsse, nullúmque ex iis sceleribus, quæ in se admiserat, eum latere, silentio processit lacrimans, & in corde suo omnia debita confessa Deum placatum reddidit. Tace igitur & tu *Pharisæe*, ut tibi debitum condonet. Noli tu, cùm reus sis, condemnatam jam condemnare. Noli tu, cùm vilis sis, vilem vilipendere. Quiesce: neque enim aut tuis, aut illius rebus indigeo: sed ambobus ut remitterem debitum, veni. Ego enim sum ille humanus fœnerator duorum, neque tantùm vobis, sed & omnibus, qui solvendo non fuerint: dummodo fateantur debitum, & postulent per pœnitentiam, ut sibi remittam, donémque Chirographum. Si quis ergo æs alienum contraxerit, accedat ad gratiam baptismi: & per eam â debito liberabitur. &c. Verumtamen Domine Dominator JESU Christe, quandoquidem ea, quæ debeo tibi, unde reddam, neque habeo neque possum: meis siquidem multis sceleribus tuam sortem cum fœnore absumpsi, sed nè quæso, â me repetas, quæ mihi dedisti, animæ sortem & corporis fœnus, quin potius pro tua humanitate, leva me pondere debitorum meorum, mihi dic, ut meretrici, dimittuntur tibi peccata multa: tu enim solus es sine peccato, bonus & benignus, & peccata condonans, téque unum decet omnis gloria, honor & adoratio, cum Patre tuo, qui principio caret, & omnino sancto, bono, & vivifico spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Quem *Pharisæus* de falsa justitia præsumens, † nisi Judaicum populum: quem peccatrix mulier ad vestigia Domi-

† S. Gregorius homil. 33. in Evang. post initium.

Domini veniens & plorans, nisi conversam Gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, unguentum fudit, retrò secus pedes rigavit, capillis tersit, eósdemque, quos infundebat, & tergebat pedes osculari non desiit. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si ejus pœnitentiæ luctus imitemur. Quid namque unguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Unde & Paulus dicit: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Si ergo recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpore, nisi unguentum fundimus? Sed secus pedes Jesu Mulier stetit: contra pedes enim Domini stetimus, cùm in peccatis positi ejus itineribus renitebamur. Sed si ad veram pœnitentiam post peccata convertimur, jam retrò secùs pedes stamus: quia ejus vestigia sequimur, quem impugnabamus. Lacrimis mulier pedes ejus rigat; quod nos quoq; veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis ergò pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur; quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrimis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcumque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis ex his, quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit: sed non ministrando, quæ desunt, vim doloris mini-

minimè abſcindit. Oſculatur mulier pedes, quos tergit: quòd nos quoque plenè agimus, ſi ſtudioſè diligimus, quos ex largitate continemus: nè gravis nobis ſit neceſſitas proximi: nè ipſa nobis ejus indigentia, quæ ſuſtentatur, fiat oneroſa; & cùm manus neceſſaria tribuit, animus â dilectione torpeſcat.

Lacrimis cæpit rigare pedes ejus, & capillis ſuis tergebat, & oſculabatur pedes ejus. (d) Pedes iſti ſunt Miſericordia & judicium: quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. Quis enim Dei miſericordiam indeſinenter attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat Univerſitatis Dominum formam ſervi pro ſervis ſuſcipere, triginta & tribus annis operari ſalutem noſtram in medio terræ hujus, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum, ſtatim deceptoria ſpe ſibi blanditur, & alludit, gaudet obſervari in miſericordia & miſerationibus, judicium neſcit, ignorat juſtitiam, & punienda æſtimat non puniri. Fallitur, qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat: qui totum de miſericordiæ pede præſumit, hoc ſolùm ad ſalutem ſufficere credens, quod credit. Rurſus cùm abducit os, & judicij pedem crebrioribus oſculis intertangit, ſubcutitur carnis, animæque ſubſtantia, & utriusque hominis ſtatum vehementior aura percellit. Horrendum enim eſt incidere in manus Dei viventis, offendere Creatorē, neſcire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet poteſtatem corpus & animam ponere in Gehen-

(d S. Bernardus in feſto S. M. Magd. mihi fol. 245. & 246.

hennam. Terribilis certè, ſicut ait Apoſtolus, quædam exſpectatio judicij, quando ignis in conſpectu ejus ardeſcet, & virtutes cælorum movebuntur, & vacillantibus conſcientiis latitudinem mundi validiſſimus ignis aduret. Nihil prorſus terribilius, quàm videre latronis officinam plenam ſanguine, cumulatam opprobriis, tormentis undantem. Quis hæc diutius cogitans non ſtatim contremiſcat, & in deſperationis rotetur abyſſum? Non eſt igitur huic pedi moroſiùs incumbendum, nè pietatis intuitum ferocia judicantis excludat. Utrumque igitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus, & nunc miſericordiam amplectens, nunc judicium exoſculans contribulati ſpiritus offerat holocauſtum. &c.

Oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. (e) Pedes ungimus Salvatoris, cùm de peccatis compungimur; ungimus caput cùm de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interſtitii tamen moroſitas inter pedes eſſe debet, & caput; quia profectò difficillimus, & præſumptuoſus ſaltus eſt à veſtigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem, quæ unxit pedes, unxit & caput: Cùm illa meretrix nihil horum feciſſe legatur: ſecundùm illud: Verte impios & non erunt. Unxit ergo Maria ſanctum Domini verticem profectò jam electa, jam familiaris effecta, longéque à peccatricis illius obvoluta veſtigiis, quam infelix ille ſeptenarius confundebat, &c.

Unguento pedes ejus ungebat. (f) Attende quia unguentum pedibus infuſum, adeò dignantiſſima lenitate ſuſcepit, ut Phariſæum murmurantem parabolica prolixitate

(e Idem ibidem. (f Idem ibid.

lixitate convinceret, & retorto suggillaret exemplo. Sed & de refuso super caput ejus unguento discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans: & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre, támque mirificum in mortuo suo corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim corpora habet Christus, unum quod suscepit ex virgine, alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas regiminis. Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus cruci, junctus sceleratis, morte turpissima condemnatus, &c. Felix Maria unxit pedes JESU: Felicior eadem unxit caput auctoris: felicissima, quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit &c.

Deploratio devotissima S. Anselmi Archiep. Cantuar: pro amissa virginitate.

Anima mea, anima ærumnosa, anima inquam misera miseri homunculi. Excute torporem tuum, & discute peccatum tuum, & concute mentem tuam, reduc ad cor enorme delictum, & produc de corde immanem rugitum. Intende infelix, intende sceleris tui horrorem, & prætende horrificum horrorem, & terrificum dolorem. Tu inquam, quæ quondàm candida cælesti lavacro, dotata spiritu sancto, in Christiana professione jurata virgo servisti Christo desponsata. O, nimiùm memini! O quem nominavi, utique non tam benignum sponsum Virginitatis meæ, quàm terribilem judicem immunditiæ meæ. Heu memoria perditæ jucundi-

cunditatis! Cur sic superaggravas pressuram possidentis? Quàm misera sors flagitiorum, cui & bonum & malum pariter sunt in tormentum. Torquet enim me mala conscientia, & cruciatus ejus in quibus timeo arsurum; torquet me bonæ conscientiæ & præmiorum ejus memoria, quæ scio me perdidisse, nec ampliùs recuperaturum. Væ miserum perdere, id perdere irrecuperabiliter, quod servari debet interminabiliter. Heu inconsolabile perdere, quod non solùm damnosum bonorum, sed insuper est lucrosum tormentorum. O virginitas, jam non dilecta mea, sed perdita mea; jam non jucunda mea, sed desperatio mea, quò devenisti? In quàm fœtido, in quam amaro cœno viæ dereliquisti! O fornicatio sordidatrix mentis meæ, perditrix animæ meæ: unde misero surrepsisti, de quàm nitido, de quàm jucundo statu me præcipitâsti? Hinc uris me, O amaro mœror, quia illud est amissum: hinc angis me, O gravis dolor, & timor gravior, quia istud est amissum. Hinc est damnum inconsolabile, hinc tormentum intolerabile. Væ hinc! væ illinc. Sed si pariter bonum & malum; sic utique jam justè punitis adhuc viventem miserum malum. Dignè, certè, dignè. Tu namque anima mea perfida Deo, perjura Dei, adultera Christi libenter de virginitatis sublimitate miserabiliter es dimissa in barathrum fornicationis. Tu illa olim desponsata Regi cælorum, audenter facta es scortum tortoris tartarorum. Heu abjecta à DEO, projecta diabolo: imò abjiciens Deum, amplectens diabolum. Tu enim, tu miserrimè mea meretrix obstinata, fornicatrix impudens: tu prior

 amato-

amatori & Creatori tuo Deo repudium obtulisti, & ad insidiatorem, & perditorem tuum dæmonem te spontè contulisti. O miserrima, & plùsquàm miserrima commutatio! Heu de quàm sublimi cecidisti! in quàm profundum corruisti! Væ quàm benignum contempsisti! quàm maligno te junxisti! Quid fecisti, O mentis amentia, amens spurcitia, spurca nequitia, quid fecisti? In cælo dereliquisti castum amorem tui, & in Infernum sequuta es odiosum corruptorem tui: & in barathro parâsti non thalamum, sed prostibulum tuum. Horror mirabilis, quàm perversa voluntas? Miraculum horribile, quàm voluntaria perversitas? Unde mihi, Deus, tantæ pravitatis corruptio? Unde tibi, Deus, tanti sceleris satisfactio? Præcipitare miser homuncio in tenebrosum profundum immoderatæ mœstitiæ, qui spontè præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ! Obruere mole nequitiæ! Obruere, infelix, mole terribilis doloris, qui corruisti libens in cœnum infernalis fœtoris! Obvolvere ærumnosa horridis tenebris, inconsolabilis luctus, qui volens provolutus es in voraginem tam sordidi luxûs. Volutare in gurgite amaritudinis, qui delectatus es in volutabro turpitudinis. Terror terribilis, dolor terribilis, mœror inconsolabilis; aggerate vos super me, irruite, obruite, perturbate, obvolvite, pessumdate. Justum est! justum est! Impudenti audacia contempsi vos, & pudenti delectatione provocavi vos, imò DEUM, non vos, & nunc miserabili pœnitentia desidero vos. Torquete reum, vindicate Deum. Præsentiat fornicator infernalia tormenta, quæ meruit, prægustet

guftet, quod præparavit, affuefcat, quod eft paffurus. Extende, produc, immoderate peccator, luctuofam pœnitentiam, qui tam longè produxifti tui fceleris immunditiam. Revolve te, & revolve te in eundem turbinem amaritudinum, qui toties revolutus es in eandem voraginem libidinum. Confolatio, fecuritas, lætitia, nolo vos, renuo vos, nifi peccati venia reduxerit vos. Procul eftote! procul eftote ante mortem, nifi fortè indulgentia revocaret vos; mihi verò poft mortem fit continua pœnitentia, amara comes ætatis meæ; fit acutus dolor, infanabilis tortor vitæ meæ. Sint mœror, & acerbus luctus, infatigabiles tribulatores juventutis, & fenectutis meæ. Utinam, utinam ità fit, opto, oro, defidero, ut ità fit; non enim fum dignus oculos ad cælum levando orare; certè non fum dignus eos vel plorando cæcare. Si confunditur mens mea orare pudore confcientiæ, æquum eft, ut confundatur turbine luctuofi doloris, & triftitiæ. Si timet exhiberi ante confpectum DEI fui, juftum eft, ut habeat ante confpectum fuum tormenta fceleris fui. Cogitet igitur, & recogitet cor meum, quid fecit, quid meruit. Defcendat, antequam defcendat ad terram tenebrofam & opertam mortis caligine mens mea, & confideret, qui ibi expectent fcelerofam animam meam, intendat & contempletur, videat & conturbetur. Quid eft, Deus; quid eft quod animadverto in terra miferiæ & tenebrarum? Horror, horror. Quid eft quod intueor, ubi nullus ordo, fed fempiternus horror inhabitat? Heu confeffio ululantium, tumultus dentibus ftridentium, inordinata multitudo gementium, væ, væ,

Quot, & quot væ? Væ ignis sulphureus, flamma tartarea & caliginosa volumina, quàm terrifico rugitu video vos rotari vermes in igne viventes. Quæ dira aviditas redeundi sic vos accendit, quos ille ignis ignium non incendit? Dæmones coardentes, frementes ardore, frendentes furore, his cur sic crudeles estis, qui volutantur inter vos? O commoda tormenta, justitia moderata ad sustinendum! Siccíne nullus modus, nullum remedium, nullus finis temperabit vos. Hæccíne sunt, magne DEUS, quæ parata sunt fornicatoribus, & contemptoribus tui, quorum ego unus sum? Ego, ego utique unus horum sum. Anima mea expavesce, mens mea defice, cor meum scinde te! Quo me rapitis exactores sceleris mei? Quo me tradis peccatum meum? Quò me tradis DEUS meus? Si feci, ut essem reus tuus, nunquid potui facere ut non essem creatus tuus? Si mihi castitatem meam ademi, nunquid tibi misericordiam tuam peremi? Domine, Domine, si ego amisi unde me damnare potes, túne amisisti unde salvare soles? Noli Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Ubi verax est, O verax Deus! Ubi est, vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat? Domine, qui non mentiris; Domine, quid est nolo mortem peccatoris? Si tu sepelis in infernum ad te clamantem peccatorem, an detrudere peccatorem in gehennam est, nolo mortem peccatoris? An hoc est, volo ut convertatur peccator, & vivat? Peccator sum ego Domine, peccator sum ego. Si ergo non vis peccatoris mortem, quid te cogit, quòd non vis, ut

me

me tradas ad mortem? Si vis, ut convertatur peccator, & vivat, quid te prohibet facere, quod vis, ut me convertas & vivam? An immanitas peccati mei cogit te, quod non vis, & prohibet, quod vis, cùm sis omnipotens DEUS? Absit Deus meus. Absit, Domine Deus, meus, ut prævaleat nequitia peccatoris confidentis & dolentis, sententiæ omnipotentis. Memento, juste & sancte & benigne Deus! Memento quia misericors es, & Creator & recreator meus. Ne ergo memineris, bone Domine, justitiæ tuæ adversus peccatorem tuum, sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam! Ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto miserationis erga miserum. Verum est, quia conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quia misericordia tua superat omnem offensionem: Parce ergo, tu Bone, cujus est salus, & qui non vis mortem peccatoris, Parce peccatrici animæ meæ. Fugit enim exterrita â terrente justitia tua, ad confortantem misericordiam tuam, ut quoniam præmium Virginitatis corruptæ, O dolor! irrecuperabile, saltem, supplicium fornicationi pœnitenti non sit inevitabile, quia non est possibile omnipotentiæ tuæ, nec indecens justitiæ tuæ, nec insolitum misericordiæ tuæ. Et quoniam bonus es, & quoniam in æternum misericordia tua, qui es benedictus in sæcula. Amen.

AUGU-

AUGUSTINUS POENITENS,

Paradigma virilis ætatis, ſtatûs Politici, mundi Sapientium inſipientium, delinquentium, reſipiſcentium, & noxas deplorantium.

S. Auguſtinus Soliloquiorum: cap: 6.



Um fui ſine te, non fui, ſed nihil; & ideò cæcus eram, ſurdus & inſenſibilis; quia nec bonum diſcernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum ſentiebam, nec tenebras meas videbam; quia eram ſine te vera luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi, vulneraverunt me, & non dolui; traxerunt me, & non ſenſi: quia nihil eram, quia ſine vita eram, quæ eſt VERBUM, per quod facta ſunt omnia. Ideo Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt, quæcumque voluerunt: percuſſerunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, vulneraverunt, occiderunt me, quia receſſi â te, & factus ſum NIHIL ſine te. Heu Domine vita mea, qui feciſti me; lux mea, qui dilexiſti me; defenſor vitæ meæ, miſerere mei, & reſuſcita me, Domine Deus meus, ſpes mea, virtus mea, fortitudo mea, conſolatio mea, in

die

die tribulationis meæ, respice inimicos meos, & eripe me: fugiant â facie mea qui oderunt me, & ego vivam in te, per te. Ipsi enim, Domine, consideraverunt me, & videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me, fecerunt sibi viam per me, sub pedibus suis conculcaverunt me, fæcibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum, & mœrore confectum. Ibam post eos cæcus, & nudus & illaqueatus, funibus peccatorum trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium. & de luto in lutum, & ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Servus eram, & servitutem amabam: cæcus eram, & cæcitatem desiderabam. Vinctus eram, & vincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam. Miser eram, non cognoscebam, & hoc quia sine VERBO eram, sine quo factum est NIHIL, per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur: Sicut enim omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, sic per ipsum omnia conservantur, quæcumque sunt, sive in cælo, sive in terra, sive in mari, & in omnibus abyssis: nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum, nisi quia per Verbum conservantur, per quod omnia facta sunt. Adhæream ergo tibi VERBUM ut conserves me; quia ubi â te recessi, perii in me; nisi quia tu, qui me feceras, refecisti me. Ego peccavi, & tu me visitâsti. Ego cecidi, tu me erexisti; Ego ignoravi, tu me docuisti. Ego non vidi, tu me illuminâsti.

ODA

ODA.

1.

O Dulcis liquor lacrymæ,
Fons vivus oculorum,
Humor gementis Animæ,
Et pabulum Dolorum,
Vos Sanguis cordis abditus, (*a*)
Et vulnerati cruor,
Vos clamor mentis tacitus,
Clausíque luctûs fluor.

2.

I, Dolor plenis fontibus,
I, cataractas solve,
Laxis curre torrentibus,
Fluctus per ora volve,
Fac mea sit afflictio
(Magnus Amoris quæstus)
Et ùt maris, contritio, (*b*)
Reciprocantis æstus.

3.

Offensa Dei causa contritionis.

Peccavi! servus Domino!
Homo, *Deum*, calcavi!
Heu me! cur audax nomino
Numen, in quod peccavi?
Nomen quod ineffabile
Vix sonant Cherubini,
Cui genu flectant humile
Ardentes Seraphini?

4.

Illud quod (Tetragamaton)
Et nefas nominare,
Divinitatatis Adyton,
Immensitatis mare,
Sacræ plenum formidinis
Sacro plenum horroris,
Tonitrui, & fulminis,
Clangoris, & terroris?

5.

Illud! O temerarium
Os hominis inclamet?
Tot noxiis nefarium,
Sanctum Nomen infamet?
Qui improbo consilio
In jus cælum citavi,
Et stulto Deum prælio
Ad arma provocavi?

6.

Æterni effrons Numinis
Me hostem sum professus,
Et Majestatem, criminis
Furore sum aggressus!
Sum! sum! *læsæ*, heu doleo!
Sum Majestatis Reus!
Me perpetim (quod defleo)
Reatus culpat meus!

7.

In hoc vitæ exilio,
Miseriarum fonte,

Superbo

(*a* S. August. (*b* Thren, 2.

Superbo supercilio,
Meáque major fronte,
Tuam sprevi *Clementiam*,
Contempsi *Bonitatem*,
Amoris abundantiam,
Excessum, *sanctitatem*.

8.

Te, te, O summa *Charitas*
Majestas increata,
Amabilis *BEATITAS*,
Potestas cælo data,
Te mille millionibus
Noxarum violavi,
Stultis præsumptionibus,
Contempsi, profanavi.

9.

Te ausus sum impetere,
Te ausus sum ferire;
Et arma in Te vertere,
Et effrons in Te ire
Tuo omniscientiam
Explosi in conspectu,
Tuam *Omnipræsentiam*
Irrisi cum despectu.

10.

Non illa tua lumina,
Non oculos verebar,
Non Deitatis Numina,
A queîs conspiciebar,
O lumina cernentia
Rei iniquitatem,
Et ferre non potentia
Hanc mentis fœditatem.

11.

Vos vias contemplantia
Humanas, & progressus,
In imos penetrantia
Rei cordis recessus,
Vos læsi: & justitiam
Contra me provocavi,
Et judicis sententiam
Protervus irritavi.

12.

Ego demens mancipium
Deum de Deo Verum,
Et omnium *Principium*
Metam, *finémque* rerum.
Pessumdare *substantiam*,
Numen annihilare,
Perfectionum gratiam
Conatus exstirpare.

13.

Peccati gravitas, gravem quoque & vehementem dolorem requirit.

Ubi estis O lacrimæ?
Ubi mei dolores?
Ubi gementis Animæ
Continui mœrores?
In me desertis omnibus,
Quos hactenus pressistis,

Venite

Venite totis viribus,
Queis Reos peremistis!

14.

Huc vindicantûm agmina
Exercitus *Dolorum*,
Mea ferite crimina,
Progeniem malorum,
Iras armate taureis,
Dextra gyret flagellum,
Plagis sævite ferreis.
Hoc pectus sit macellum.

15.

Cor istud! cor sævissimo
Metam loco furori;
In prædam immanissimo
Cedo lubens tortori,
Illud in partes scindite,
In frusta dissecate,
Discerpite, dividite,
Torquete, laniate.

16.

Scyron, Procustes, sæviant,
Crudelis furat Scinis,
Busyris me injiciat
Præsepibus equinis,
Meúsque sit sarcophagus
Famentis faux caballi,
Et me Bos antropophagi
Deglutiat Perilli.

17.

Succende taurum, Phalaris;
Ære fusum caminum,
Confide, ventrem hilaris
Iniliam bovinum;
Lubens cadam Geryoni
Patris ad aras cæsus,
Et Erycis abdomini
Fiam feralis esus.

18.

Tormentum atrox, horridum
In me reduc Mezenti,
Cadaver letho putridum,
Mihi junge viventi,
Magis noxarum mutua
Me torquent morticina,
Quæ corporis, mens mortua
Deo, fert inquilina.

19.

Uncos, cultros, novaculas,
Sulphur, picem, mucrones,
Furcas, rotas, fidiculas
Expediant Nerones,
Omnes furores exerat
In me Domitianus,
In unum, mille conferat
Pœnas Vespasianus.

20.

Tisiphone Caligulas,
Alecto Tamburlanos,
Omnes Megæra incolas
Orci mittat Tyrannos,
Secet, urat, dilaniet
Me Diocletianus,

Nullus

Nullus in me ſat ſæviet
Furoribus Trajanus.

21.

Non furor unus ſufficit,
Sit licèt Styge natus,
Æternitatem reſpicit
Tantus culpæ reatus,
Ego inferni titio
Quantumvis fiam cinis,
Nihil tamen ſufficio
Ut ſit culparum finis.

22.

Peccati Dolor omni gaudio renuntiat, & amaris, triſtibúsque animum occupari deſiderat.

Peccavi! O *temeritas!*
In Te Amor peccavi!
A Te, O ſumma *Bonitas,*
In malum declinavi!
Noxis procellas æquoris,
Et guttulas exceſſi,
Arenulásque littoris,
Quas improbus congeſſi.

23.

Vix Homo inter homines,
Quin imò fui brutum,
Legis transgreſſus ordines,
Et rationis ductum.
Arbitrio ſaniſſimæ
Abuſus Libertatis,
Secutus aſt ſtultiſſimæ
Ductamen Vanitatis.

24.

Ortûs mei Principium
Eſt, Deum Te laudare,
Sed Dæmonis mancipium
Te auſus blaſphemare,
O nunquam tot doloribus
Me mater peperiſſet!
Nec obſtetrix me genibus (a
Infantem excepiſſet!

25

Cur vivo? cum ſit ſatiùs
Me mori præ dolore?
Quin! vivere ſit gratiùs
Quam mori in dolore!
Æternùm juvat vivere,
Æternùm & dolere,
Nil gaudij admittere,
Sed interruptim flere.

26.

Procul omnis amœnitas,
Cordis hilaritudo.
Procul omnis jucunditas,
Mundi beatitudo,
Exeſto, quidquid fletibus
Concire poteſt moras,
Annos impendam luctibus,
Menſes, dies, & horas.

S 27. O

(a Job.

27.

O magne Mundi ocule
Sol Cæli Luminare,
Lucis ſplendorem occule,
Et mergere in mare,
Si me reum tot lapſibus
Non videris gementem.
Et plenum tot reatibus
Non lacrimis madentem.

28.

Te Phœbe, Regem Siderum,
Jugémque lucis fontem,
Nunquam cernam impoſterum,
Nec tuam Luna frontem,
Niſi fletu undantibus
Luminibus dolorem,
Genísque rubeſcentibus
Ob crimina pudorem.

29.

Ego ſtrix Orci, tenebris
Sum dignus operiri,
Et ſpelæorum latebris
Ceu Bubo ſepeliri.
Nulla lucis lætitia
Vultûs luctum ſerenet,
Sed oculis mœſtitia
Continua perennet.

30.

Vos Stellæ noctis faculæ,
Excubiæ cælorum,
Solis, Lunæque famulæ,
Puerperæ Annorum,
Quaternas vices temporum.
Poſthac non alternate,
Nec me veſtrorum corporum
Splendoribus beate.

31.

Me nullæ Veris Gratiæ.
Æſtatis blandimenta.
Nullæ Autumni Lautiæ.
Gulæ irritamenta,
Nulla frugum bellaria
Suo dignentur melle,
Dignum, quem plena maria
Orcino potent felle.

32.

Me Hyems Aquilonibus
Threjiciis conſtringat,
In me Septentrionibus
Effuſis Arctos ningat,
Triſtis Brumæ Strimonios
Experiar furores,
Et Rhodopes Sithonios
Et grandinis algores.

33.

His Anni tempeſtatibus,
Et temporis horrore,
Vaſtis ſolitudinibus,
Antrorum & ſqualore
Me plectam, ſi ſententiam
Cæli dicat Senatus,
Meúſque indulgentiam
Hanc impetret reatus.

34. Cum

34.

Cum tristibus Bubonibus
In antris hospitabor,
Hyænis, & Draconibus
Concivis sociabor,
Per noctes his & per dies
In petris habitabo,
Hæc sine requie quies
Placet, & hanc amabo.

35.

Te Nympha (Echo) garrula
Per Silvas, valles, saxa,
Adjuro te! vocabula
In nostros luctus laxa,
Cùm ah, væ, heu, audiêris,
Tu ah, væ, heu, repone,
Mihi nihil responderis
Hoc gratius sermone.

36.

Si millies retuleris
Ah! ah! væ! heu! gementis,
Solatio affeceris
Afflictæ vota mentis;
Nam lingva si defecerit
In suos fessa questus,
Sit satis, si audierit
Auris, doloris æstus.

37.

Hic nemo sit alloquio
Qui leniat dolorem,
In hoc culpæ deliquio
Quo perdidi Amorem.
Plangam irrugientium (d)
Fremitibus Draconum,
Luctûque ululantium
Ingenti Struthionum.

38.

Si quod habet absynthium,
Aut aloë amarum,
Aut fundit orbis fontium
Immensus lacrimarum, (e)
Me amaritudinibus
Haustis inebriate,
Pectúsque fellis fluctibus
Repletum inundate.

39.

Vos nectar, vos ambrosia,
Vos dulcis favus mellis,
Amari vos sympòsia
Botri, & Uva fellis, (f)
Vestris potum liquoribus
Fusis meum miscebo, (g)
Vestris luctum sudoribus
Insomnem adimplebo. (h)

40.

Creaturæ cum Creatore offensæ in adjumentum & instrumenta doloris advocantur.

Peccavi! contremiscite
Omnes nervi, & artus!

(d Mich: 1. (e Thren: 3. (f Deuter. 32. (g Psal: 101. (h Psal: 6.

Ad Nomen hoc: & discite
Infaustos culpæ partus.
Cujus conspectum horruit,
Et monstrum execratus
Deus, quod sit, pœnituit
A se Homo creatus. (i)

41.

Hunc quem fecisse doluit
Cordis dolore tactus,
Infectum esse voluit (k)
Culpæ malo coactus:
Et quas dolens nequiverat
Ciere fletus Numen,
In lacrimarum jusserat
Nubes abire flumen.

42.

His Caro, quæ corruperat
Suos, est mersa, fines, (l)
His vivens omne vixerat
Funus inter Delphines,
Naturæ tot reatibus
Confusæ cùm perirent,
Gaudebant cæli fletibus
Quòd mersæ interirent.

43.

Vos Cæli luminaria,
Vos oculi polorum,
Vidistis temeraria
Portenta delictorum,
Tu Terra, quam in crimi-
num
Partem affectam duxi,
Et per te mille fulminum
Vindictam in me struxi;

44.

Aversa turpitudines
Exhorruit Natura.
Et vindex in libidines
Exarsit creatura,
Quibus ego luminibus
Vos ausim intueri,
Quin omnia fulminibus
Armata clament, *FERI*.

45.

Ferite cor hoc ignibus,
Caput ferite telis,
Qui vos reus infamibus
Tot inquinavi malis,
Vestris abusus gratiis,
Vestris abusus donis,
Abusus beneficiis
Cæli, Terræque bonis.

46.

Creaturæ in ultionem dolentis peccatoris advocantur.

Agnosco stultæ furias
Lascivientes mentis;
Agnosco & injurias
In Deum sævientis;
Vos Creaturæ vindices
Estote Creatoris.

Vos

(i Gen: 6. (k ibid. (l Gen: 7.

Vos Elementa judices.
Severa Peccatoris.

47.

En præsto sum : vos aspides,
Colubri, & Dracones,
Ursi, Pardi, & Tigrides,
Lupi, Canes, Leones,
In me famis sævitiam
Et rabiem armate,
Et rictibus hanc BESTIAM
Discerptam devorate.

48.

Me, me, adsum ! me petite
In Cælites Rebellem,
In me iras convertite,
In Deum perduellem,
Quidquid crudele, rigidum,
Terribile, funestum,
Abominandum, horridum,
Me petat, me scelestum !

49.

Hæc tolerare, vivere
Quàm Dei hostem, præstat,
In nihilum dehiscere
Quodcúmque mei restat,
Nec fama sit, nec nominis
Superstes retrimentum.
FUIT: NON EST: sit criminis,
Mesque complementum.

50.

Vos cataclismi pluviæ,
Qui cælo decidistis,
Vos nubium exuviæ,
Quæ mundum obruistis,
Tumentes æstus fluctibus,
Grandes aquarum montes,
Ejecti terræ ructibus
Magnæ abyssi fontes,

51.

Per oculos hos fluite
Ingentes freti moles, (m)
Per quadraginta pluite
Non tantùm missæ soles;
Sed perpetim : non obices,
Nec cataractas figo,
Æternos frontis latices
Evolvat scaturigo.

52.

Origo posthac fontium,
Et radix sit aquarum,
Non mare, sed scatentium
Frons ista lacrimarum.
Ex hac plenis scaturiant
Vorticibus torrentes,
Rivos, aures, parturiant
Nares, os, lingva, dentes.

53.

Doloris hunc Oceanum
Jugis tempestas premat,
Æoliorum turbinum
Conflictu, mare fremat,

(m) Gen: 7.

Sint Africi ſuſpiria,
Auſtri, & Aquilones,
Qui criminum, in brevia,
Allidant Pharaones.

54.

Sed parùm eſt, profluvium
Aquarum lacrimare,
Sangvineum Diluvium
Rubrum cruoris Mare.
Ubertim fas eſt fluere,
Ubertim ebullire,
Delicta quod eluere,
Aut poſſit ſepelire.

55.

Quidcumque Dolor carnifex
Invenerit pœnarum,
Nil centiplex, nil milliplex
Suffecerit plagarum,
Mea excedunt vitia,
Quidquid eſt tormentorum,
Minora ſunt ſupplicia,
Vis major peccatorum.

56.

O Cæli admiramini, (n)
Et ſuper hoc ſtupete!
Et portæ deſolamini!
Protervjam lugete!
Culpa inexpiabilis
Æternum læſit Deum,
Qui pœnâ nullâ flexilis
Æternùm plectat reum.

57.

Si tracta cælo Sidera
Si Stellas, Lunam, Solem,
Si mixta terris æquora
Et *UNIVERSI* molem
Turbaſſem, & in *NIHILUM*
Chaósque redegiſſem,
Minùs, quàm cùm piaculum
Commiſi, deliquiſſem.

58.

Si Cherubinos gloriâ,
Et Seraphim amore.
Omnes Sanctos victoriâ,
Et Angelos honore,
Si Cælitum palatia
Spreviſſem, evertiſſem,
Minùs hac inſolentia
Deo reus fuiſſem.

59.

Si in vos, O Archangeli,
Et Angeli, peccâſſem,
In vos, Cæleſtes Reguli,
Si crimen perpetrâſſem,
Sed abs Dei injuria,
Clementer tuliſſetis,
Quàm mea tot perjuria
In Deum, quæ videtis!

60.

In Deum omne facinus
Commiſſum, vos concernit,

(n Jerem: 2.

Hic est offensæ terminus,
Qui *HUNC*, vos quoque spernit,
Tam grande in vos vitium
Si jure plecteretis,
Cur justius supplicium
In me non exercetis?

61.

Cur Creaturæ Dominum
Læsum non vindicatis?
Cur non ad Orci clibanum
Cremandum deturbatis?
Cur non rupta sub pedibus
Abyssus me dehiscit?
Et â meis conspectibus
Natura non fatiscit?

62.

Quid ergo feriamini
Cælorum firmamenta?
Quid tarda otiamini
In reum Elementa?
In sceleratum fulmina
Caput cur non vibratis?
Cur mille picis flumina
In me non eliquatis?

63.

Confusio Peccatoris ex beneficiorum acceptorum memoria.

Sed O! quæ rerum novitas,
Quæ monstra Bonitatis?
Paterna quæ Benignitas
Immensæ charitatis?
Dignum Orci Suppliciis
Æternùm exerceri,
Ceu Natum beneficiis
Amari & foveri?

64.

Nempe totus invertitur
Et ordo & natura,
Stygis rea defenditur,
Amatur creatura!
Nox in diem convertitur,
Caligo fit Aurora,
Turpis Maurus abluitur
Frontem albus & ora.

65.

O quæ Dei metaphora!
O Tropi qui cælorum?
Translata in hæc stercora,
Sordésque vitiorum,
De loco, in quo propria
Sunt dona gaudiorum,
Ad scelerum opprobria,
Locúmque tormentorum?

66.

Hostem Dei patimini
O Divi? & fovetis?
Mihi patrocinamini,
Pestémque sustinetis?
Mihi? qui rupi fœdera
Humana, & Divina?
Inferni, favent sidera,
Ne tumuler ruinâ?

67.

Favent, amant, & serviunt,
Indigno Creaturæ,
Promptè jussis obediunt,
In vota concessuræ,
Ab hostibus custodiunt
Honorant, reverentur,
Custodes latus ambiunt, (o)
Et Angeli tuentur.

68.

Pro meis Numen odiis
Centuplicat amores.
Pro meis contumeliis
Favores, & honores;
Pro me, suis spiritibus (p)
Deus mandavit curam;
In omnibus tramitibus,
Viisque præfecturam.

69.

Hic me pupillæ oculi (q)
Sui æquiparavit,
Instárque mundi speculi,
Ne contrectarer, cavit,
Jussitque, mille odiis
Dignissimum, amari,
Et debitis obsequiis
Sibi, me observari.

70.

Ah quem Amoris annulum,
Arrham Dilectionis,
Averni ego pabulum,
Torres damnationis
Enormi sacrilegio
Læsi, rupi, fœdavi,
Turpique fœdifragio
Ipsummet me damnavi?

71.

Ah quem? qualémq; Dominũ,
Deumque lacessivi? (r)
Cui gurges putris criminum,
Monstrúmque contra ivi
Ego stygis compendium,
Medulla Furiarum
Mei amanti, omnium
Acervo gratiarum?

72.

Hæc reddis, o homuncio
Ingrate, Conditori? (s)
Nec uno tot, teruncio,
Talenta largitori?
Insana mens! injurias,
Et odia rependis?
Amoris vicem, furias.
Pro gemmis lutum vendis?

73.

Cæcutis? an non Pater est (t)
Tuus, qui te creavit?
Quin tuus quoq; frater est.
Qui te, ut se, amavit?
Amavit! sed quem? horridam
Plutonis Officinam.
Et nautearum sordidam
Carinam & sentinam.

74 Pec.

(o Exod: 23. (p Psal: 90. (q Zach: 2. (r Deuter: 32. (s Deuter 32. (t ibid.

74.

Pudet! confusus cilia
Rubor vetat levare!
Amarum, replet ilia
Doloris mota, mare!
Quo fugiam? quæ montium
Petam tremens spelæa,
Ut vultum culpæ conscium,
Effugiat mens rea?

75.

Inferni si me specubus
Abdam, vides præsentē, (u
Si maribus, si lacubus,
Me conspicis latentem,
Ingrediar caliginem,
Et noctium tenebras.
Atram noctis ferruginem,
Scrutaris & latebras.

76.

Hic nulla ficûs folia (x)
Velabunt nuditatem,
Nec Paradisi spolia
Abscondent fœditatem:
Sum, sum velut diploide (y)
Confusione vinctus,
Et ultionis chlamyde
Divinæ circumcinctus.

77.

Pater! sed cur te nomino
Patrem? parce! erravi!
Dic serve nequam, Domino.
Non filius, peccavi. (z)
Tu quidem Patris munere,
Et fungeris favore,
Sed ego Nati decore
Nec dignus sum honore!

78.

Paternam in clementiam
Reus deliqui demens!
Peccavi in justitiam, (a)
Ast Tu in servum clemens
A facie non abjicis
Paterna pœnitentem.
Et noxias non despicis
Suppliciter fatentem.

79.

Peccatum, amore Dei, ob peccatum mortui, reciproca morte detestandum.

Me â Tuo ejicere
Conspectu, ut Cajnum,
Et poteras repellere (b)
Imprimereque *Signum*
Terroris, & formidinis, (c)
Pallorem, & tremorem,
Sed memor mansuetudinis
Me foves peccatorem.

(u Job: 14. (x Gen: 3. (y Psal: 108. (z Luc: 15. (a Psal: 50.
(b Gen: 4. (c Cornel: à Lap. ibid.

80.

Tu in similitudinem (d)
Mortalium es factus.
Et habitûs imaginem
Orísque parem nactus,
Tuas dûxti delitias, (e)
Tuásque voluptates,
Humanas inter gratias,
Lusus & comitates.

81.

Ut inquinatum sordibus
Æthiopem lavares,
Et fœdum tot ulceribus
Me Lazarum mundares,
Tuum fudisti sanguinem
In fontem sanitatis,
Lavares ægritudinem
Excessu Charitatis.

82.

Quid? fontem? plena maria,
Tui offers cruoris!
Cùm gutta necessaria
Sat tanti foret roris,
Amor Tuus Oceanum
Effundit tormentorum
Pro me, amaritudinum
Plagarum & dolorum.

83.

O inaudita pensio
Justitiæ Rigori!
Quam nimis atrox ultio
Imposuit Amori:

Judex pro Reo plectitur,
Insons culpæ damnatur,
Pœnâ *scelus* absolvitur,
Nocensque liberatur.

84.

Hanc nemo capax gratiam
Cælo, Terráve satus
Præstare, sed in hostiam
Tu (*Verbum Caro*) factus,
Pro me oblatus in cruce,
Amoris es altari,
Et non nisi reciprocè
A me cupis amari.

85.

Quin: O ingens miraculum!
Potentiæ portento,
Tu Te mihi in ferculum
Sub Panis sacramento,
Potúmque das, ut rapias
Me in Tui amorem,
Illecebráque capias
Hac me Convivatorem.

86.

O Amor! O dilectio!
O Deus cordis mei!
O insolens refectio
Tam immerentis Rei!
An ultra fas est vivere,
Qui tantam charitatem
Experior obruere
Meam indignitatem?

87. Ah

(d Phip. 2. (e Prover. 8.

87.

Ah dolor mi! quid facies
Tot conſcie culparum?
Rigebis an ut glacies
Extorris ſcintillarum?
En Amor prior exerit
Suáſmet in Te flammas,
Et Matris inſtar aperit
Dilectionis mammas!

88.

Te excitat tot mediis,
Ut ames te amantem,
Te mille dignum odiis,
Nec audis invitantem?
Si millies cecideris
In victimam Amori,
Nil unquam ſatis feceris,
Nec reddes par dolori.

89.

Quid vitâ Tuâ charius,
Quam pro me prodegiſti?
Quid morte pretioſius,
Quam lubens ſubijſti?
Nunquam me licèt immolem
In mille cæſum fruſta,
Amorem reddet ſimilem
Mens in favillam uſta.

90.

Ad Tua ſum ſervitia,
Ad Tuos nutus natus,
Mea, Tua ſunt omnia,
Vitæ, mortíſque ſtatus,
Nil dignum Servus Domino
Reddet, ſua, poſcenti,
Cujus ſunt ſine termino
De jure repetenti.

91.

O Deus meus! liceat
Teſtari vim Doloris!
Seipſum amor exuat
Spe vitæ longioris.
Pro te mi JESU moriar,
Ut victimer Amori,
Rurſum poſt mortem oriar,
Ut rurſum poſſim mori.

92.

Aut ſi mori non ſufficit,
Fac me annihilari,
Et ſi honori proficit
Tuo, me annullari,
Fac non ſim inter entia,
Ut tibi fiat ſatis,
Nulla dignus clementia
Pro meis tot erratis.

93.

Peccatum Deo morte acerbius, extremi doloris incentivum.

Quis unquam vel cum beſtia
Tam inclementer egit?
A mundi quis infantia
Tam ferox ſcelus legit?
Quis

Quis unquam tam immaniter
Tyrannus insanivit?
Quis Deum tam crudeliter
Tormentis appetivit?

94.
Ego Tyrannis sævior
Aggressus innocentem!
Te beatus crudelior
Afflictum pro me flentem.
Vinxi, cecîdi, tradidi,
Ferociæ tortorum,
Damnavi, morte perdidi
Infami tormentorùm.

95.
Hanc in Te truculentiam,
Et hanc crudelitatem,
In tuam innocentiam,
Tuámque charitatem,
Crimen meum exercuit
Origo tot dolorum,
Crimen meum enecuit
Te Mundi Redemptorem.

96.
Hoc, hoc Te fecit gemere,
Cruorem hoc sudare,
Hoc in agone tremere,
Ad Patrem suspirare,
Hoc Te oppressit graviùs,
Quàm crux, quam bajulâsti,
Hoc ipsa morte duriùs,
Quam insons tolerâsti.

97.
Quod scelus? quæ iniquitas
In Te mi JESU fuit?
Immensa Tua charitas
Pro me latrone luit;
Hinc super Te dolentibus
Dîxti, *non me lugete* (f)
Sed super vos, undantibus
Per ora rivis, *flete*.

98.
Ah verè flere jusseras
Non Te, sed Peccatores!
Qui minùs pœnas senseras,
Quàm criminum errores,
Plùs una te malitia
Afflixit Peccatorum,
Quàm omnia supplicia
Tuorum tormentorum.

99.
Ah da mi JESU perpetim
Lugere, lacrimari!
Da in hac vita affatim
Luctu non satiari,
Da JESU mi doloribus
Meis æternitatem,
Diebus & ut noctibus
Deplorem cæcitatem.

100.
Me mille mortes meritum
Crudelem Deicidam
Non ille in interitum
Stupesco parricidam.

Hostem

(f) Luc. 23.

Hostem, mortis artificem
Non esse interfectum,
Christi Passi carnificem
Pœnarum architectum.

101.

Væ mihi! ut quid computor
Res inter existentes?
Indemnis cur sustineor
Tot inter innocentes?
Ego, quem Deus cernere
Nec vult, nec potest ferre,
Mavúltque vitam perdere,
Quàm hostem me videre.

102.

Odium sui ipsius & contemptus ob Deum indignè habitum.

O vos, si nequam homini
Luis peccati puræ
Pavetis, & dignamini
Me vestro Creaturæ
Aspectu, hanc aspicite
Cui parem non vidistis,
Pestem, & hanc exscindite,
Tam diu quam tulistis.

103.

Me, me Augiæ stabulum,
Putredinem Cocyti!
Spurcitiarum cumulum
In sordium mephiti,
Me vomicam, me saniem
Catharma, excrementum,
Amurcam, lepram, scabiem,
Malorum complementum.

104.

Orbe toto expellite,
Hac lue liberate;
Cicutam hanc evellite,
Virus eradicate.
In ipso stygis gurgite,
Et piceo profundo,
Ne noxia sim, mergite,
Gravísque pestis mundo.

105.

Me fulminum, & ignium,
Et Orci nutrimentum,
Calamitatum omnium
Ultricium fomentum.
Cui consumendo Æquitas
Humana, nec Divina,
Nec sufficit æternitas,
Nec Ditis officina.

106.

Odi memet, & execror
Mihimet gravis factus, (g
Dei hostem abominor,
Qui noxis tot vallatus,
Ut Tartari communibus
Indignus sim tormentis,
Sed novis plectar ignibus
Plagarum instrumentis.

107. Pro

(g Job. 7.

107.

Pro meis novum carceris
Sit Barathrum peccatis,
Indignus qui cum cæteris
Conjunctus ſim damnatis,
Nè meo, minùs meriti,
Tactu contaminentur,
Viſóque me conterriti
Magis excrucientur.

108.

O Iuda! Dei traditor,
Et venditor Magiſtri!
Ego, furentis, proditor,
Vices agens miniſtri,
Tu ſemel, ego nequior
Te millies negavi,
In hoc forſan felicior,
Quòd nondum deſperavi.

109.

Tu medius in arbore
Suſpenſus crepuiſti!
Et exta rupto corpore
In terram effudiſti,
Et animam in Tartara
Merſam flammarum rivo;
Et ego poſt tot ſcelera
Adhuc ſuperſtes vivo?

110.

O ſidus! plenum gloria!
O Stella perduellis,
Indicens Cælo prælia
In Dominum rebellis,
O Lucifer Tenebrio,
Quò tua lux defecit?
In noctem hanc ambitio
Lethalis te conjecit.

111.

In tenebras præſumptio
Æternas deturbavit,
UNA tecum ſeditio
Tot millia damnavit,
Ah *UNA* tot municipes,
Tot cæli inquilinos,
Monarchas tot & Principes
Ad flammeos caminos.

112.

UNA! me qui nec numerum,
Nec ſpeciem meorum,
Satis cognoſco ſcelerum,
Spirituum reorum
Conſortem dignum cenſeam?
Ut cum his inquilinis,
Æternùm miſer ardeam
In flammeis uſtrinis?

113.

Vos Dæmones, & ſinguli
Et ſimul univerſi,
Unius ob piaculi
Culpam, in Orcum merſi,
Quantumvis deteſtabiles,
Aſt mihi comparati,
Videri vos amabiles
Poteſtis, & ornati.

114. Vos

114.
Vos *UNA* cogitatio
Reos præcipitavit,
UNA mentis elatio
Culpavit, & damnavit.
Mei reatus, littoris
Exuperant arenas,
Et vincunt guttas æquoris,
Frondésque comis plenas.

115.
Vobis nulla conjunctio (*b*)
Cum Deo Incarnato,
Nec est participatio
Cum Salvatore nato,
Vos simplices, Potentiæ
Illius, Creaturæ,
Ast nos illius gratiæ
Pars sumus, & Naturæ.

116.
Quin nos auræ particula,
Et pars divinitatis,
Quos per amoris vincula
Immensæ charitatis,
Junxit nos sibi sanguine
Carnis indutus vestem,
Suo repletam Numine
Dilectionis testem.

117.
Undenas trieterides (*i*)
Vixit Redemptionis,
Cui Pater ephemerides
Præscripsit Passionis,
Præscripsit, & in arbore
Crucis Patri exsolvit.
Pro me litrum cum fœnore,
Et reum me absolvit.

118.
Non his vos Numen gratiis
Dignatum, nec favore,
Æternis sed suppliciis
Justitiæ rigore,
Omnes addixit: fulmine
In singulos vibrato,
Sententiæ discrimine,
Nec gratiæ collato.

119.
Vos mitior æternitas,
Me gravior affliget:
Cùm culpæ non sit paritas,
Quæ vos, & me castiget:
In me cuncta irruite
Incendia flammarum!
O inferi! me plectite
Nocentem tot noxarum!

120.
Mala omnia præ pecca-
to eligenda, & sui amor,
Dei amori posthabendus.
Quantò fuisset satius
Ignes insiliisse?

Et

(*b* Concorporei & consanguinei Xti facti estis: & divinæ Naturæ consortes. S. Cyrillus Ep. Hierosol. Catech. Mystag. 4. (*i* Ad operandam salutem nostram Xtus 33. annis in terris vixit.

Et in Deum consultius
Nequaquam deliquisse ?
Culpæque purum inferos
Æternùm habitare,
Quàm in vindictam superos
Ultores irritare ?

121.

Quidquid amens ferocia
Livórque Tyrannorum,
Et quidquid in supplicia
Avernus tormentorum
Furens potest intendere,
Hæc, *UNUM*, præstat pati,
Quàm vel levi offendere
Deum culpâ peccati.

122.

O Amor mi! O utinam
Abundè pati possem!
Et ad amoris trutinam
Non jam librare nôssem
Immensam cruciatuum,
Et copiam dolorum,
Sed plenos Orbes luctuum
Effundere meorum.

123.

Ah utinam dulcissimo
Cordi vel sic placerem!
Tibíque amantissimo
Deo solamen ferrem,
Nihil totius perderem,
Mundi, Orcíque pœnas,
Quin & vivus descenderem
Ad flammas æviternas.

124.

O instar thuris liceat
In ara me cremari!
Et odor Tibi placeat
Amoris in altari,
Lubens totus in cinerem,
Aut in carbones irem,
Si gratum Tibi pulverem
Bustúmque fore scirem.

125.

Una plus oblectatio
Per me Tibi obtenta,
Fert ponderis, quàm passio,
Et omnia tormenta
Quæ sine fine meritum
Reum possent ferire,
Aut penitus interitum
Culpæ pœnam concire.

126.

O utinam! ne laberer (k)
Incautus *sapuissem!*
Et mala tot, ne plecterer
Sanus *intellexissem!*
Et funeris *novissima*
Futura *providissem*,
Nec toties mitissima
Te Bonitas læsissem!

127.

Tunc poteram præcordia
Divina demulcere,

Tunc

(k Deuter. 32.

Tunc veterana odia
Culparum abolere !
Tunc ad thronum Clementiæ
Offensam expiare,
Tunc ad tribunal gratiæ
Placamen impetrare.

128.

Sed Tuo, Te solatio,
Me gratiâ privavi !
Humano Te delitio
Me cœlico fraudavi !
Et pro amore futili
Spuma nitentis luti,
Honoris bulla fragili,
Tumore dissoluti.

129.

Te, Amor meus, tradidi,
Malisque tot immersi,
Pro *nihilo* Te vendidi,
Thesaurum Universi,
Mortis obtrusi cymbium
Amarum magis felle,
Et obtuli absynthium
Pro nectare & melle.

130.

Hanc Tu ingratitudinem
Cum fœnore retunde!
Hanc tu amaritudinem
In me rursus refunde;
Quemcumque potum dederis
Ad usque bibam fæces,
Mille licèt miscueris
Tormenta, pœnas, neces,

131.

Te juge decet gaudium,
Me torqueant mœrores
Me luctus, fletus, tædium,
Tormenta, crux, dolores;
Quantumvis dones veniam,
Tortore tamen gravi,
Monebit conscientiam
Interna vox: *Peccavi!*

132.

Peccata aliena, dolendi materia abundans: quid ni ergo etiam, imò & magis propria?

Quamvis nullo contagio
Me scelerum culparet,
Nec gratiæ naufragio
Mersum noxa damnaret,
Ubertim tamen gemere
Deceret, & dolere,
Cordéque toto fremere,
Singultibúsque flere.

133.

Ut si vel unus hominum
Tot inter milliones,
Te UNIVERSI Dominum
Læsisset, ultiones

 Sat

Sat foret de me sumere
Continuis lamentis,
Injuriámque plangere
Afflictæ luctu mentis.

134.

Et ego siccus lumina
Omittam irrigare?
Qui plura damnant crimina
Quàm guttas volvat mare?
Qui-quis stellas per æthera
Est potis numerare,
Hic mea quoque scelera
Est potis computare.

135.

Millenis dignus mortibus
Cœli, Terræque reus,
Nunquam sat dignis fletibus
Me dolor plectet meus,
Novas licet Iustitia
Dei, pœnas crearet,
Nunquam sat pro malitia
Pœnarum irrogaret.

136.

Peccatum quia à Beatis in cælo abominabile, nobis dolendi materies.

Quin & Senatus Cælitum,
Choriúsque Beatorum,
Cui Tu, mi Deus! *UNICUM ES BONUM, UNUM, VERUM*,
Es Infinita Bonitas,
Jugis Beatitudo,
Amabilis Suâvitas
Mentis hilaritudo.

137.

Te intuentes diligunt,
Tui ardent amore,
Tui offensam sentiunt,
Tanguntur & dolore.
Mallentque cuncta perdere,
In nihilum abire,
Quàm levi te offendere
Culpáque Te ferire.

138.

O Divi! quæ spectacula
Catastraphen horroris,
Infanda quæ piacula
Ingrati Peccatoris,
A me vidistis construi
Infami Architecto,
Sanctásque leges dirui
In Stygem non projecto?

139.

Vobis exosus, sontibus
Tot calculis notatus,
Tot scelerum reatibus
Et noxis infamatus,
Vestra sum tribunalia
Ausus interpellare,
Et effrons ad subsellia
Opem vestram rogare?

140.

O si vos pœnitentiâ
Offensos hilarare,
Et luctûs vehementiâ
Contritus vos pacare
Et vices tot, doloribus
Valerem compensare,
Quot Cælites sceleribus
Præsumpsi irritare!

141.

O si noxarum odia,
Et detestationes,
Quæ vestra in præcordia
Amoris sanctiones,
Olim & nunc, tot actibus
Fixêre, legerentur
In me, & velut ictibus
Tot cor mallearetur.

142.

O si cor adamantinum
In frusta disrumpatur,
In pulverem silicinum
Sub mola conteratur,
Nam *cor contritum respici* (*l*)
Novi *humiliatum*,
Et âTe nullum despici
Suppliciter prostratum.

143.

Sed (vos testor O Sidera!)
Indignus gratiarum
Ob tot, & tanta scelera
Tot pestium mearum?
Nihil præter supplicia,
Nihil præter tormenta,
Et Numinis judicia
Merebar in momenta.

144.

Abjectus quàm in stercore (*m*
Putrescam ut jumentum,
Putri percussus ulcere (*n*)
Immergar in fimetum,
Meísque desideriis
Cordis tradar relictus, (*o*)
Novísque semper vitiis
Sim reus & obstrictus.

145.

Hoc Dæmonum supplicium,
Hæc pœna Damnatorum,
Hoc atrox exercitium
Dolorum æternorum,
Odisse Numen, nec posse
Amare, revereri,
Virtutis opus nec nôsse
Nec legem exerceri.

146.

Sed æviternis odiis
In Deum desævire,
Horrendis & blasphemijs
In sanctum nomen ire,
Ut velut canes mordeant
Authorem sæculorum,
Isáque pejus ardeant,
Quàm flammis Inferorum.

T 2 247. Et

(*l* Psal. 50. (*m* Ioel. 1. (*n* Job. (*o* Ioel. 1.

147.

Et hanc ego voraginem
Pœnarum officinam,
Hanc ſcelerum farraginem,
Et odii ſentinam,
Infelix ſtygis incola
Æternùm habitabo?
Deúmque per tot ſæcula
Rebellis blaſphemabo?

148.

In hunc mortis oceanum,
Et barathrum abyſſi
Me merſit furor criminum,
Cælíque ſors amiſſi,
Et hinc indignus cernere,
Indignus Te videre,
Malis dictis inceſſere,
Et cogar devovere?

149.

O tormentorum maximum
Et omnium malorum;
Tot execrandas Dæmonum,
Vocésque damnatorum
Audire ſemper, rabie
Iráque cor bullire,
Deúmque ſine ſatie
Blaſphemiis ferire.

150.

O Deus meus! liceat
Æternùm cruciari!
Sed & priùs diſpliceat
Peccatis inquinari!

(p S. Thom: Aq. opuſc. 57.

Expertem fas ſit criminis
Ardere, & amare,
Intérque flammas fulminis
Pœnáſque Te laudare.

151.

Magnitudo miſericordiæ Dei in peccatores proponitur ad ſpem erigendam.

Sed quæ Tui dignatio?
Quæ cura miſerentis?
Quàm facilis oblatio
Dei, ſervum foventis?
Sua gazophilacia,
Opeſque meritorum
Offértque mortis pretia
Pro litro peccatorum.

152.

Effuſi pro me ſanguinis (p)
Theſaurum Deitatis
In ſanitatem hominis,
Et penſum libertatis,
Depromit, ut me liberet
A jugo ſervitutis,
Et inimicum duceret
In Patriam ſalutis.

153.

Tu miſerator Dominus!
Miſericórſque Pater,
Frumentum Tu, Tu pampinus,
Tu plenus meri Crater,

Tu

Tu Te propinas omnibus,
Das escam Te timenti,
Edis cum peccatoribus, (q)
Præbésque Te famenti.

154.

Missis, Convivas, nuncius (r)
Ad exitus viarum,
Sepésque, sacris lautiis
Et epulis escarum,
Cæcos, claudos, & debiles
Pascis, nihil merentes,
Cibósque præbes nobiles
Et saturas egentes.

155.

Quin Patris amantissimi
Vices, & partes agis, (s)
Natíque scelestissimi
Duris moveris plagis,
Et á longinquo conspicis
Me ad te revertentem,
Squalore fœdum accipis,
Et sordibus fœtentem.

156.

Manus pandis amplexibus,
Et obviam festinas,
Amoris stringis nexibus,
Et osculum propinas,
Stolam Primam, & annulum
Jubes reverso dari.
Occidi mandas vitulum,
Et epulum parari.

157.

O saginatum vitulum
Ex adipe frumenti!
O sacrum Patris epulum
Tam grandis sacramenti!
O dulce vini poculum!
O charitatis rorem!
Quod nullum vidit sæculum,
Quo potas peccatorem!

158.

Ut animi lætitiam,
Mentis hilaritatem
Prodas, addis & musicam,
Vocísque suavitatem,
Totúmque facis gaudiis
Cœnaculum sonare,
Et animum tripudiis
Concessis exultare.

159.

In partem vocas Angelos
Tuorum gaudiorum,
Omnésque cœli regulos
Et incolas polorum,
Ut super pœnitentiam
Unius Peccatoris
Tecum agant lætitiam
Amoris & honoris.

160.

Paterni patrimonii
Sic amás Decoctorem?

 Tui-

(q Luc. 15. (r Luc. 14. (s Luc. 15.

Tuique teſtimonii
Legíſque deſertorem?
O JESU! quid tenerimo
Tuo reſtat amori?
Niſi ut Te miſerrimo
Des totum peccatori?

161.

Das; quin imò communicas,
Ceu fores mecum *UNUS*,
Et intimi magnificas
Amoris in me munus;
Nam Deum Deus exuit,
Ut fiat Homo Deus,
Et Homo Deum induit,
Ut Homo fiat Deus.

162.

O grande beneficium!
O magnum ſacramentum!
Hoc ſummum artificium
Amoris argumentum,
Hoc maximum miraculum,
Quo majus nequit dari,
Quod cælites ſpectaculum
Non poſſunt ſat mirari.

163.

Hoc divinarum opus eſt
Miſericordiarum,
Amoris iſte ſcopus eſt,
Hæc meta gratiarum,
Qua ſalvum cupit hominem,
Et gloriâ donari,
Et interire neminem,
Sed cælo coronari.

164.

Hoc opus ſuper omnia
Eſt operum Tuorum,
Quo Patris agis munia
Tuorum filiorum,
Mavíſque reis parcere,
Et mitis miſereri,
Quàm ſævus *ultor* plectere,
Et *judex* trux haberi.

165.

Humilis in Dei Bonitate fiducia.

Ego drachma abſcondita,
Quam quærens inveniſti:
Ego ſum ovis perdita,
Quam laſſus quæſiviſti,
Et è prædonum dentibus
Ereptam ſuſtuliſti,
Et in (lupis frementibus)
Ovile retuliſti.

166.

Ego vermis, & non homo,
Sum factus ut jumentum!
Et Tu in Tua me Domo
O gratiæ portentum!
Honore me & gloria
Indignum coronâſti,
Et Principem in regia
Paterna collocâſti.

167. Quas

167.

Quas vices gratitudinis,
  Quas referam amoris?
Quas grates multitudinis
  Laboris, & favoris?
O infinita Bonitas
  Tot beneficiorum!
O inexhausta largitas
  Donorum Divinorum!

168.

Te nulla mens complectitur,
  Nec intellectus capit,
Sensus mortalis perditur,
  Et nil cæleste sapit,
Inter jussa silentia
  Vox omnis obmutescit,
Et infans Eloquentia
  Fatiscit, & tabescit.

169.

Hanc miserentis Domini
  Adoro Bonitatem,
Meámque supplex Numini
  Advolvo vilitatem,
Agnosco sapientiam
  Terra, putredo, Cinis,
Et veneror clementiam
  Beati aram finis.

170.

Tua misericordia,
  Quòd non consumpti sumus,
Debetur, & victoriæ
  Nostræ cæleste munus;
Tuam misericordiam
  Æternùm decantabo,
Et infinitam gloriam,
  Noménque dilaudabo.

171.

Anacephaleosis Doloris & Amoris Dei super omnia, & ex hac veræ Contritionis Synæresis.

O insolens insania,
  Quâ vixi dementatus!
Cur mundi hæc inania
  Ceritus sum sectatus?
O stulta rerum somnia!
  Quêis credens insanivi!
O fluxa, fluxa omnia
  Quæ amens appetivi!

172.

Cur hæc mundi crepundia
  Tam seriò dilexi?
Cur vera cæli gaudia
  Incurius neglexi?
Cur vanis vanitatibus?
  Cur credidi fortunæ?
Cur cassis voluptatibus,
  Carníque importunæ?

173.

Cur verum ego gaudium
  Te Deus non amavi?

Cur

Cur omnium compendium (t)
Te serò æstimavi?
Te pulcritudo tam vetus
Tam nova, nimis serò,
Amavi, fluxarum latus
Delitiarum mero.

174.

O Deus meus! utinam
Te citiùs amâssem!
Et peccatorum sarcinam
Onúsque declinâssem!
Nec tam crudelis Domini
Fuissem jugo pressus,
Nec manceps factus Dæmoni,
Malísque tot oppressus.

175.

Ah tædet, pudet, pœnitet,
Blennum insanivisse,
Et, qui dolores continet,
Mundo inservivisse!
Ast nunc, quantumvis seriùs
Ad Te suspiro, clamo,
Et quàm priùs, jam veriùs
Te amo, amo, amo!

176.

Te amo super omnia
Creata & creanda;
Opes, mortis seminia,
Et lucra detestanda,
Grandes honorum titulos,
Fumos & vanitates,
Auróque fusos vitulos,
Carnísque voluptates.

177.

Abominor, & execror
Quo fui captus visco,
Tota mente in Te feror,
Te solum concupisco,
Procul, quid quid non Deus est
Sit, vani vis ardoris.
Nam solus scopus meus est
Deus, & fons amoris.

178.

Non interruptis fletibus
Opprobria dolebo,
Et lacrimarum imbribus
Sinus meos replebo.
O si infectum reddere,
Quod factum est, liceret,
Differre nil, nil parcere
Industriæ liberet.

179.

O si qui malis usibus
Disparuêre soles,
Et temporum reflexibus
Præteritorum moles,
Redirent ad infantiam
In verno flore sitam.
Primámque innocentiam,
Purámque culpâ vitam.

180. Quan-

(t S. August.

180.

Quanto momenta nobilis
Horásque pretiosas
Mercarer sumpta temporis,
Et dies otiosas!
Minuta nulla fluerent
Tuo non sacra cultu,
Nec oculorum ruerent
Ictus vibrati vultu.

181.

Quàm stringerem amplexibus
Quæ priùs aversabar,
Plenis amoris nexibus,
Quêis priùs obluctabar,
Nunc animæ divitias
Prudentiùs tenerem,
Et spiritûs delitias
Consultiùs foverem.

182.

Ah! ah! quis mihi meritos
Sufficiat dolores?
Ut affatim præteritos
Plangam reus errores?
Ah doleo! doloribus
Non ex timore natis,
Nec stygis quòd ardoribus
Cremandus cum Damnatis.

183.

Non quia cælum perdidi
Sedem Beatitatis,
Et Paradiso excidi
Abysso voluptatis,
Non quia *Ultor* Deus es
In sæcula futura,
Sed quia Deus meus es,
Et ego Creatura!

184.

Amor Dei super omnia excedit omnes creaturas possibiles & existentes.

Te amo super omnia,
Quæcumq; sunt, & erunt,
Quæ fingere ingenia
Possunt, vel potuerunt,
Non quia Te amantibus
Mercedem polliceris,
Sed quia DEUS OPTIMUS
FUISTI, ES, & ERIS.

185.

Te Deus meus UNICUM
BONUM amans, amabo,
Te præter nullum gaudium
Posthac desiderabo,
Tu solum mihi præmium,
TU MERCES MAGNA NIMIS,
Tu mihi instar omnium,
Tu vitæ meæ finis.

186.

Tu summa amabilitas,
Tu ipsa pulcritudo,

Tu copiosa suavitas, (u)
Tu cordis plenitudo,
Tu omni melle dulcior,
Sapidiorque musto,
Tu lacte nutribilior,
Cùm Te mi Deus gusto.

187.

Tu omni luce clarior, (x)
Splendidiórque sole
Tu Stellis es nitidior,
Omniqúe cæli mole,
Tu mihi super aureas
Argenteásque gazas
Es charior, & gemmeas,
Et baccas pretiosas.

188.

Tu mihi super Onyches,
Smaragdos, & Beryllos,
Sapphiros, & Sardonyches,
Et Indiæ lapillos,
Tu Adamante charior,
Chryfolithíque auro,
Achate pretiosior,
Et omnium thesauro.

189.

Tu nunquam extinguibilis, (y)
Et semper ardens ignis,
Tu flamma delectabilis,
Quæ sacros æstus gignis,
Accende me, ut ardeam,
Et Conflagrem amore,
Et in favillas abeam
Tuo flammans ardore.

190.

Totus accendar ignibus,
Ut diligam Te totus,
Flammis urar perennibus
Afflatu Tuo totus,
Tecum, qui amat quidpiam, (z)
Te, Deus, amat minùs,
Aut præter te [*]et[*] *uspiam*
In suos claudit sinus.

191.

Tu totum Tibi vendicas
Cordis humani fundum,
In hoc te SOLUS collocas,
Admittis nec secundum,
Sedem Tuam non pateris
Cuivis hospitalem,
Hac *tota solus* frueris,
Et non fers corrivalem.

192.

Nam cælo cùm descenderes
E throno majestatis,
Et carneam indueres
Vestem mortalitatis,
Mancipium me Dæmonis
Amore coëmisti,
Et litro tui sanguinis
Me servum redemisti.

193. Ad

(u S. August. soliloq. c. 19. (x Ibid. (y Idem. (z Idem.

193.

Ad hoc, Amoris gravitas,
Audendum, Te coëgit,
Et ipsa te Divinitas
In hominem compegit,
Æternus est in tempore
Homo in Terras, missus
Et in mortali corpore
Mortalis Deus visus.

194.

Amor, Verbum Altissimi
Infantem mutum fecit,
Et in antri vilissimi
Præsepium projecit,
Nudum, contemptum, pauperem,
Gementem, & plorantem,
Et in Naturæ carcerem
Conclusit exulantem.

195.

Amor mundi artificem
Et rerum conditorem
Ligni fecit Opificem,
Et fabrum lignatorem,
Josepho Patri subditum,
Et Matri obsequentem,
Æstu, sudore madidum,
Et frigore trementem.

196.

Amor, duras imposuit
Vitæ necessitates,
Orsúsque telam texuit
Crucem calamitates,
Exercuit opprobriis,
Ludibriis afflixit,
Mortísque, tot blasphemiis
Reum, ferox, addixit.

197.

Amor movit formidinem
In horto deprecanti,
Sacrum sudare sanguinem
Fecit agonizanti,
Et, ùt latronem, militum
Cohortes captivarent,
Suóque juri subditum
Catenis vincularent.

198.

Hic duxit ad Subsellia,
Et Præsidum senatum,
Ad terna tribunalia
Constanter accusatum,
Flagris scidit immanibus,
Spinisque caput cinxit,
Mortísque, suis manibus,
Chirographum affixit.

199.

Sic ultimùm in arbóre,
Mi Deus, obiisti,
Et me in Tuo latere
Captivum inclusisti,
Asylum hoc refugii
Tuus expandit Amor,

Et

Et ultimus supplicii
 Me vocat ad Te *clamor.*

200.

Clavos inter & vincula
 Agonis & torturas,
Caput lunans in oscula
 In aurem insusurras,
TUI AMORE MORIOR,
 UT REDAMES AMANTEM,
SIC AMOR MORTE DURIOR
 ME COGIT EXSPIRANTEM,

201.

Te Deus meus eligam
 Quem prior elegisti,
Te Amor meus diligam,
 Quem prior dilexisti,
Præstat cessare vivere,
 Et mori hinc migrantem,
Cessare quàm diligere,
 Te Deus, me amantem.

202.

Cùm nullum punctum temporis
 Sit, hora, vel momentum,
Quo mihi non contuleris
 Opis Tuæ fomentum,
Qui me tot beneficiis
 Dignaris immerentem,
Et prævenis tot gratiis
 Indignum Pœnitentem.

203.

Sic nullum tempus transeat,
 Nec hora, nec momentum:
Quod non amantis videat
 Fidelis argumentum.
Nam TE amare vita est,
 Amare mors cessare,
In hoc vis omnis sita est,
 Aut mori, aut amare.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave, gravatæ sunt super me *Psal.* 34. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 33.

Accipe Sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ, (*a*) quam formâsti & excitâsti, ut confitear nomini tuo: & sana omnia ossa mea, & dicant, Domine quis similis tibi? Neque enim docet

te;

(*a* S. Augustinus lib. 5. Confess: cap. 1.

te, quid in se agatur, quid tibi confitetur: quia oculum tuum non excludit cor clausum: Nec manum tuam repellit duritia hominum: Sed solvis eam cùm voles, aut miserans, aut vindicans & non est, qui se abscondat â calore tuo. Sed te laudet anima mea, ut amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, ut laudet te. Non cessat, nec tacet laudes tuas universa creatura tua, nec spiritus omnis hominis per os conversum ad te: nec animalia, nec corporalia, per os considerantium ea: ut exurgat in te â lassitudine anima nostra, innitens eis, quæ fecisti: & transiens â te, qui fecisti hæc mirabiliter: & ibi refectio & vera fortitudo.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. *Psal.* 30.

SErò te amavi pulcritudo tam antiqua, & tam nova, (*b*) serò te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè â te, quæ si in te non essent, non essent. Vocâsti, & clamâsti, & rupisti surditatem meam. Coruscâsti, splenduisti, & fugâsti cæcitatem meam. Flagrâsti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustavi, & esurio, & sitio: Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

Anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. *Psal.* 142.

QUis similis tibi etiam in diis Domine? (*c*) Quis similis tibi? Magnificus in sanctitate, terribilis atq; lau-

(*b* Idem Conf: lib. 10. cap. 27. (*c* S. Augustinus soliloq. cap. 33.

laudabilis & faciens mirabilia ? serò te cognovi lumen v
rum; serò te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebr
sa ante oculos vanitatis meæ, ità ut videre non possem f
lem justitiæ, & lumen veritatis. Involvebar in tenebris fi
tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen n
cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amaban
& ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde r
eduxit, ubi eram homo cæcus sedens in tenebris,
umbra mortis ? Quis accepit manum meam, ut in
me educeret ? Quis est ille illuminator meus ? N
eum quærebam. & ipse quæsivit me : non vocaba
eum, & ipse vocavit me. Quis est ille ? Tu es Dom
ne Deus meus, misericors, & miserator : Pater miser
cordiarum; Deus totius consolationis. Tu sancte D
mine Deus meus, quem confiteor toto corde meo, gr
tias agens nomini tuo. Non te quærebam, tu me qu
sivisti : non te invocabam, tu me vocâsti : Vocâsti eni
me nomine tuo. Intonâsti desuper voce grandi in i
teriorem aurem cordis mei : Fiat lux, & facta est lu
& discessit nubes magna, & liquefacta est nubes ten
brosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tua
& cognovi vocem tuam, & dixi : Verè Domine,
es Deus meus, qui eduxisti me de tenebris, & umb
mortis, & vocâsti me in admirabile lumen tuum, ec
video. Gratias tibi illuminator meus. Et convers
sum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyssum t
nebrosam, in qua jacueram, & contremui, & expav
& dixi : Væ ! væ ! tenebris meis, in quibus jacui ! væ ! v
cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cæl

Va

Væ! væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te Domine. Gratias tibi ago illuminator, & liberator meus, quoniam illuminâſti me, & cognoví te. Serò te cognovi veritas antiqua, ſerò te cognovi veritas æterna: tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoſcebam te, quia illuminari non poteram ſine te, & non eſt lux extra te.

Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. *Pſal:* 37.

FOrtiſſime, magnipotens Deus ſpirituum univerſæ carnis, * cujus oculi ſunt, ſuper omnes vias filiorum Adam, â die nativitatis eorum, uſque in diem exitûs eorum, ut reddas unicuique ſecundùm opera ſua, bona vel mala: oſtende mihi ut confitear tibi paupertatem meam, quoniam dixi, quòd dives eſſem, & nullius egerem, & neſciebam, quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miſer, & miſerabilis. Credebam enim me fore aliquid, cùm nihil eſſem. Dixi ſapiens efficiar, & ſtultus factus ſum. Cogitabam me eſſe prudentem, & deceptus ſum, & video nunc, quia donum tuum eſt, ſine quo nihil poſſumus facere, quia niſi tu Domine cuſtodieris civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Sic docuiſti me, ut cognoſcerem me, quia dereliquiſti me, & probâſti me, non propter te, quòd cognoſceres me, ſed propter me, ut cognóſcerem me. Nam ut dixi, Domine credebam me aliquid fore ex me, exiſtimabam

* *S. Auguſtinus Soliloq. cap.* 15.

mabam me sufficere per me, nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongâsti à me, & cecidi statim in me, & vidi & cognovi, quoniam tu regebas me: & quod cecidi, fuit ex me, & quod surrexi, ex te. Aperuisti mihi oculos lux, & excitâsti, & illuminâsti me, vidi quoniam tentatio est vitá hominis super terram, & quòd gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificatur omnis vivens, quoniam siquid boni est, parvi vel magni: donum tuum est, & nostrum nonnisi malum est. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono? Nunquid de alieno? Tuum Domine est bonum, tua est gloria: qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est, & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo bono, & non quærit in illo gloriam tuam, sed suam, hic licèt propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur, quia de dono tuo non tuam, sed suam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, nec liberabitur condemnante te. At tu Domine formator meus ex utero matris meæ, non me sinas cadere in illa exprobratione, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam. Tibi enim sit gloria, cujus est omne bonum: nobis autem confusiò faciei, & miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris quippe Domine, misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, & das nobis de bonis tuis, & ditas nos Domine Deus inopes opimis donis tuis,

tuis. Quoniam diligis pauperes, & divites facis eos divitiis tuis. Ecce nunc Domine pauperes nos filii tui sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis januas tuas, & edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt te, qui requirunt te. Scio enim Domine, & confiteor docente te, quoniam illi soli, qui cognoscunt se pauperes, & confitentur tibi paupertatem suam, ditabantur â te, quoniam qui se divites existimant, cùm sint pauperes, à tuis divitiis invenientur exclusi. Ego igitur confiteor tibi Domine Deus meus paupertatem meam, ut sit tibi tua glòria tôta, quoniam tuum est bonum per me gestum. Domine confiteor, ut docuisti me, nihil aliud sum, quàm universa vanitas, umbra mortis, & abyssus quædam tenebrosa, & terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione nil germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum, & mortem. Si quid boni unquam habui, â te recepi, quidquid boni habeo, tuum est, vel â te habeo. Si quando steti, per te steti: sed quando cecidi, per me cecidi: & semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses: semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminâsses. Quando cecidi, nunquam surrexissem, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam me etiam erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses. Sæpiùs perijssem, nisi me gubernâsses. Sic semper Domine, sic semper gratia tua, & misericordia tua prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans â præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris: præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas: *quia nisi tu hoc mihi fecisses,*

ego omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio Domine quòd nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si Creator desit, à quo factus est homo. Sed quòd non facerem, tu fecisti: quòd abstinerem, tu jussisti: & quòd tibi crederem, gratiam tu infudisti. Tu namque Domine regebas me tibi & mihi: ut adulterium: & omne aliud peccatum non committerem, gratiam, & lumen donasti.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. *Ps. 9.*

EGo autem sum filius ancillæ tuæ, qui me commendavi manui tuæ, * jam his meis pauperculis confessionibus confitear tibi liberator meus toto corde meo, & reducam ad mentem meam omnia bona, quæ fecisti mihi à juventute mea omni vita mea. Scio namque quòd ingratitudo multum tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans, & urens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ tuæ super hominem: qua & mala mortua jam oriuntur, & viva jam opera moriuntur, & ultra non adipiscuntur. Et ego Domine gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi liberator meus: quoniam liberâsti me. Quoties jam me absorbuerat ille Draco, & tu Domine ab ore ejus extraxisti me. Quoties ego peccavi, & ipse paratus fuit deglutire me; Sed tu Domine Deus meus defendisti me. Cùm contra te iniquè agebam, cùm tua mandata frangebam, stabat ipse paratus ut me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam,

* s. Augustinus soliloq. cap. 18.

bam, & tu me defendebas: Ego te non timebam, & tu me custodiebas. A te recedebam, & inimico meo me exhibebam: tu ipsum, ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu Domine Deus meus beneficia conferebas, & ego miser non cognoscebam. Sic enim me multoties â faucibus diaboli liberâsti, de ore Leonis eripuisti, & ab inferno, licèt nescientem, me multis vicibus reduxisti. Descendi enim usque ad portas inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti. Appropinquabam usque ad portas mortis, & ne me ipsæ caperent, tu fecisti. De morte etiam corporis sæpiùs eruisti me Salvator meus, cùm graves morbi tenerent me, quum fui in periculis multis: per mare, per terras, ab igne & gladio, & ab omni periculo liberans, semper mihi adstans, & misericorditer salvans. Sciebas tu quidem Domine, quia si tunc mors me occupâsset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem. Sed tua misericordia, & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ, Domine Deus meus. Hæc & multa mihi tua alia beneficia exhibuisti, & ego eram cæcus, & non cognovi, donec illuminâsti me. Nunc igitur lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea, per quam vivo, lumen oculorum meorum, per quod video: En illuminâsti me, & cognosco te, quia vivo per te, & gratias ago tibi licèt viles & exiles, & impares beneficiis tuis, quales habet mea fragilitas, offero. Quoniam tu es solus Deus meus, Creator meus benignus, qui amas animas nostras, & nihil odisti eorum quæ fecisti. En ego primus inter peccatores, quos salvâsti, ut exemplum aliis tribuam

benignissimæ pietatis tuæ. Confitear tibi beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de inferno inferiori, semel, & secundò, & tertiò, & centies, & millies: & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas, & justè millies damnâsses me, si voluisses. Noluisti quia amas animas. & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam Domine Deus meus, multæ misericordiæ in omnibus viis tuis. Nunc ergo video hæc Domine Deus meus, & cognosco per lumen tuum, & deficit anima mea in misericordia tua magna, quæ est super me: quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori & me ad vitam reduxisti. Totus enim eram in morte, totúmque me resuscitâsti. Tuum igitur sit totum id, quod vivo, & totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis: quoniam totum me liberâsti, ut totum me possideres: totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur Domine, virtus mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, & vivat, jam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, resuscitata est in misericordia tua, qui es Deus misericors & miserator, & multæ misericordiæ in millia, his qui diligunt nomen tuum. Idcircò Domine DEUS meus, sanctificator meus, jussisti in lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei; omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ; quoniam semper perirem, nisi quia semper me vivificas: & omni

omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi magna tua beneficia præstas. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi, cujus est omne donum bonum, & omne datum optimum descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; Non enim est volentis, neque currentis, sed tui miserentis, ut diligamus te. Tuum est Domine hoc donum, cujus est omne bonum: jubes te diligi: da quod jubes, & jube quod vis.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea: Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usque quo? *Psal. 6.*

SIc ægrotabam & excruciabar, * accusans memet ipsum solitò acerbius nimis, ac volvens ac versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis Domine severâ misericordiâ, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & nón abrumperetur id ipsum exiguum & tenue, quod remanserat, & revalesceret iterùm, & me robustius alligaret.

* S. Augustinus Confess: cap. 11. lib. 8.

ligaret. Dicebam enim apud me intus : Ecce modò fiat, modò fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam penè faciebam : & non faciebam ; nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam & respirabam. Et idem conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs jam jámque attingebam & tenebam : & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ vivere, plúsq; in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum : punctúmq; ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propiùs admovebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem : sed non recutiebat retro, nec avertebat. sed suspendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam. & submurmurabant ; Dimittísne nos ? Et â momento isto non erimus tecum ultra in æternum ? Et â momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum ? Et quæ suggerebant in eo, quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant, Deus meus ? Avertat ab anima servi tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant ? quæ dedecora ? Et audiebam eas jam longè minùs, quàm dimidius, non tanquam liberè contradicentes, eundo in obvium, sed velut â dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes, ut respicerem. Retardabant tamen me recunctantem abripere, atque excutere ab eis, & transilire quo vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta ; Putásne sine istis poteris ? Sed jam tepidissimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, quà intenderam faciem, & quò transire trepidabam Casta dignitas

gnitas continentiæ, Serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ut venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ: ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas & non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Projice te securus, excipiet & sanabit te. Et erubescebam nimis: quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret: obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Illa controversia in corde meo, non nisi de me ipso adversus me ipsum. At Alipius affixus lateri meo, inusitati motûs mei exitum tacitus operiebatur.

Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Nunquid in æternum projiciet DEUS: aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam

abſcindet, à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Et dixi: Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi: Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. *Pſal. 76.*

UBi verò à fundo arcano alta conſideratio contraxit, * & congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis mei, oborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrimarum. Et ut totum effunderem cum vocibus ſuis, ſurrexi ab Alipio: Solitudo enim mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur. Et ſeceſſi remotiùs, quàm ut poſſet mihi onerosa eſſe etiam ejus præſentia. Sic tunc eram, & ille ſenſit, neſcio quid. Aliquid enim puto dixeram, in quo apparebat ſonus vocis meæ, jam fletu gravidus, & ſic ſurrexeram. Manſit ergo ille, ubi ſedebamus, nimiè ſtupens. Ego ſub quadam ficu arbore ſtravi me, neſcio quomodo: & dimiſi habenas lacrimis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum. Et non quidem his verbis, ſed in hac ſententia multa dixi tibi: & tu Domine usque quo? Usque quo Domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri. Jactabam enim voces miſerabiles; quamdiu, quamdiu, cras, cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amariſſima contritione

* S. Auguſtinus Confeſſ. cap. 12. lib. 8.

ne cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quasi pueri aut puellæ, nescio: Tolle, lege; tolle, lege: Statímque mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri, in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omninò audivisse me uspiam. Depressóque impetu lacrimarum, surrexi, nihil aliud interpretatus, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, & legerem, quod primum capitulum invenissem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Evangelica lectione, cui fortè supervenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis: & veni, sequere me: & tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius, ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm indè surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: Non in comessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus & impudicitiis; non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Nec ultra volui legere, nec opus erat; Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto, aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & tranquillo jam vultu indicavi Alipio. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit. Petit videre, quid legissem. Ostendi; & attendit etiam ultra, quàm ego legeram:

& ignorabam, quid sequeretur. Sequebatur verò: Infirmum autem in fide recipite: Quod ille ad se retulit, mihiq; aperuit. Sed tali admonitione firmatus est; placitóque ac proposito bono, & congruentissimo suis moribus, quibus à me in melius jam olim valde longéq; distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet: narramus quemadmodum gestum sit. Exultat & triumphat: & benedicebat tibi, qui potens es ultra, quàm petimus aut intelligimus facere: quia tantò ampliùs sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus flebilibúsque gemitibus. Convertisti enim ità me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertisti luctum ejus in gaudium, multò uberiùs, quàm voluerat: & multò chariùs atque castiùs, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat.

Dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo. *Ps. 37.*

ET tibi quidem Domine, * cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem quòd gemitus meus testis est displicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & desideraris, ut erubescam de me, & abjiciam

* S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 2.

ciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, nisi de te. Tibi ergo Domine manifestus sum, quicumque sum: & quo fructu tibi confitear dixi. Neq; enim id ago verbis carnis & vocibus, sed verbis animæ, & clamore cogitationis, quem novit auris tua. Cùm enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quàm displicere mihi. Cùm verò pius, nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi: quoniam tu Domine benedicis justum, sed priùs enim justificas impium. Confessio itaque mea, Deus meus, in conspectu tuo tibi tacitè fit, & non tacitè; tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu priùs audieris; aut etiam tu aliquid tale audis à me, quod non priùs mihi tu dixeris.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit: *Psal. 6.*

QUid mihi ergo est cum hominibus,† ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes langvores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam; desidiosum ad corrigendam suam. Quid me quærunt audire, qui sim? qui nolunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cùm à me ipso de me ipso audiunt, an verum dicam: quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est

* S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 3.

est? Si autem à te audiant de seipsis, non poterunt dicere, mentitur Dominus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? quis porrò cognoscit, & dicit falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia charitas omnia credit, inter eos utique, quos connexos sibimet unum facit, ego quoque Domine etiam sic tibi confiteor, ut audiant homines, quibus demonstrare non possum, an vera confitear, sed credunt mihi, quorum mihi aures charitas aperit. Verumtamen tu, medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi; Nam confessiones præteritorum malorum meorum, quæ remisisti & texisti, ut beares me in te, mutans animam meam fide & sacramento tuo, cùm leguntur & audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum; sed evigilet in amore misericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ: qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ; Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui jam carent eis: nec ideò delectat, quia mala sunt; sed quia fuerunt, & non sunt. Quo itaque fructu, Domine Deus meus; cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior, quàm innocentiâ suâ. Quo fructu, quæso, etiam hominibus coràm te confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi, & commemoravi. Sed quis, adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, & multi hoc nôsse cupiunt, qui me noverunt, & non me noverunt, qui ex me, vel de me aliquid audièrunt, sed auris eorum non est ad cor meum, ubi ego sum, quicumque sum.

Volunt

Volunt ergo audire confitentem me quid ipse intus sim: quo nec oculum, nec aurem, nec mentem possunt intendere: credituri tamen volunt, nunquid cogn ituri? Dicit enim eis charitas, qua boni sunt, non mentiri me, de me confitentem, & ipsa in eis credit mihi.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. *Psal*: 106.

BOnum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. * Si peccata sunt, in confessione lavantur; Si bona opera, confessione commendantur. Cùm mala tua confiteris, sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cùm Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confessio igitur est peccatoris vita, justi gloria. Video David dicentem: Peccavi; Et audientem: Transtulit Dominus peccatum tuum â te, &, non morieris. Considero Mariam, si non verbis, tamen operibus publicè sua crimina confitentem, & Dominum pro ea respondentem: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Respicio Principem Apostolorum negantem timidè, amarissimè flentem, Christum illum respicientem. Felicem latronem intueor se accusantem, Christum excusantem, & Dominum promittentem; Hodie mecum eris in Paradiso,

* S. Bernardus serm. de VII. grad. Confess: fol. 1707.

so. O quàm sublimis ista confessio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad cælum, de cruce latro damnatus ac crucifixus ad paradisum ascendit. Gloriosa confessio, quæ Petrum Apostolum trinæ negationis crimine liberavit; & ab Apostolatûs culmine cadere non permisit. Fidelis institutio, quæ Mariæ multùm diligenti, multum dimisit: & amoris multi titulo insignitam, discipulorum corpori sociavit. Præclara miseratio, quæ regem & Prophetam multiplici criminum inundatione mundavit, & in antiquæ gloriam dignitatis perducendo reduxit. Hæc est via, quæ viatorem suum nunquam fefellit, quæ nunquam deseruit, nisi deserentem se.

S. Anselmus de Miseria hominis, peccatorum reatu, gravitate, pœnitudine, judicij horrore, & pœnis Inferni.

TErret me vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas ferè tota vita mea. Et si quid fructûs in ea videtur, sic est aut simulatum aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit, aut non placere aut displicere Deo. Ergo O peccator, vita tua, jam ferè tota, aut in peccato est, aut damnabilis, aut infructuosa, & contemptibilis. Sed quid separo infructuosum â damnabili? Utique, si est infructuosa, est & damnabilis. Constat enim & verum esse, quod veritas Dei dixit: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. Denique si quid ago utile, prorlus

ſus nullatenus illud compenſo alimentis corporis, quibus abutor. Sed quis paſcit pecus, quod nec tantùm prodeſt, quantum conſumit: & tamen tu benignus Deus, tu nutris, & exſpectas tuum inutilem, verùm & fœtentem peccatis. Quàm tolerabiliùs canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix DEO, quàm infeliciùs iſta Deo, quàm ille hominibus. Heu non hominem, ſed opprobrium hominis, vilius pecore, pejus cadavere. Tædet animam meam vitæ, vivere erubeſco, mori pertimeſco, quid ergo reſtat tibi, O peccator, niſi ut in tota tua vita plores totam vitam tuam, ut ipſa tota ſe ploret totam. Sed eſt in hoc anima mea miſerabiliter mirabilis, & mirabiliter miſerabilis: quia non tantùm dolet, quantùm ſe noſcit: ſed hic ſecura torpet, velut quid patiatur, ignoret. Anima ſterilis, quid agis, quid torpes anima peccatrix? Dies judicii venit, juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt, & velox nimis dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. O vox diei Domini amara! Quid dormitas anima tepida, & digna evomi? Quid dormitas? qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, ſed mortuus eſt! Arbor infructuoſa, ubi ſunt fructus tui? Arbor digna ſecuri, & igne, digna ſuccidi, & ſuccendi, qui ſunt fructus tui? Utique ſpinæ pungentes, & amara peccata, quæ utinam hic te pœnitendo pungerent, ut conſurgerent: ſic amareſcerent, ut evaneſcerent. Forſan parvum quid putas peccatum aliquod? Utinam diſtrictus judex parvum exiſtimaret aliquod peccatum.

Sed

Sed heu me ? Nónne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat ? Quod ergo peccatum peccator audebit dicere parvum ? Deum enim exhonorare, quando est parvum ? O lignum aridum, & inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cùm exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit â te expensum ? Tunc quippe condemnabitur quidquid fuerit inventum in te operis, vel otiosi sermonis & silentii, usque ad minimam cogitationem: etiam quòd vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ, quot peccata ibi proruent ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modò non vides ? Certè plura, & fortassis terribiliora his, quæ nunc non vides. Et quæ non esse mala putas; & quæ nunc esse bona credis, nudata facie apparebunt ibi nigerrima peccata. Ibi procul dubio recipies prout gessisti in corpore, cùm tunc nullum erit tempus misericordiæ, cùm pœna recipitur, & cùm dilatio nulla datur. Hîc cogita, quid gessisti, quid oporteat te recipere. Si multa bona, pauca mala, multùm gaude: si multa mala, pauca bona, multùm luge. O inutilis Peccator! an non sufficiunt tibi hæc ad immanem rugitum ? An non sufficiunt ad eliciendum sangvinem, & medullas in lacrimas ? Væ mirabilis duritia, ad quam confringendam leves sunt tam graves mallei. O insensibilis torpor, ad quem concitandum sunt obtusi tam acuti aculei! Prô Lethalis sopor! ad quem excitandum raucum est tam terrificum tonitruum. Peccator inutilis! satis hæc tibi debent esse ad continuandum luctum! sufficere tibi possunt ad sorbendas juges lacrimas!

mas! sed quid debeo de gravedine, de magnitudine imminentis miseriæ quidquam dissimulando tacere, & oculis animæ meæ frui? An ut improvisi irruant repentini dolores, & subitò ingruat intolerabilis? Certè non, sic expedit, peccatori. Si enim dixero, quidquid potero excogitare, nondum ad id, quod res est, poterit operari. Igitur deducant oculi mei lacrimas per diem & noctem, & non taceant. Auge ergo peccator, auge superioribus ærumnis pondus, adde terrorem, ululatum super ululatum: nam ipse te judicabit, ad cujus contumeliam spectat, quidquid inobediens DEO, aut prævaricator peccat, qui mihi bonum pro malo reddidit, cui ego malum pro bono: qui nunc patientissimus, tunc districtissimus; clementissimus nunc, justissimus tunc. Heu me! heu me! cui peccavi? DEum inhonoravi, omnipotentem provocavi; Peccator, quid feci? Cui feci? quàm malè feci? Væ! væ! ira omnipotentis ne irruat super me! Ira Omnipotentis ubi poteris capi in me? Non est qui possit tolerare. In toto me angustiæ: hinc erunt accusantia peccata: inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris ardens mundus. *Justus* vix salvabitur, peccator sic reprehensus in quam partem se premet? Constrictus ubi latebo, quomodo apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Illud desidero, & nusquam erit: istud execrabor, & ubiq; erit. Quidquid erit tunc, quidquid erit tunc: quis eruet me de manibus Dei? Unde mihi consilium?

Unde salus? Quis est, qui dicitur MAGNI CONSILII ANGELUS? qui dicitur SALVATOR, & nomen ejus vociferer? Jam ipse est, jam ipse est JESUS, ipse idem est judex, inter cujus manus tremo. Respira jam, O peccator, respira ne desperes, spera in eo quem times. Aufuge ad eum à quo aufugisti: invoca importunè, quem superbè provocâsti. IESU, JESU propter hoc nomen tuum, fac mihi secundùm nomen tuum. JESU, JESU, oblivifscere superbum provocantem. Nomen dilectum, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & beatæ spei. Quid enim est JESUS, nisi Salvator? Ergo IESU propter temetipsum esto mihi IESUS, qui me creâsti, non perimas: Qui me redemisti, ne condemnes: qui me creâsti tua bonitate, ne perimas opus tuum mea iniquitate. Rogo piissime, ne perdat me mea iniquitas; quod fecit tua omnipotens bonitas. Recognosce benignissime, quod tuum est, & absterge, quod alienum est. IESU, IESU, miserere, dum tempus est miserendi! ne damnes in tempore judicandi. Quæ namq; tibi utilitas in sangvine meo, si descendero in æternam corruptionem? Neq; enim mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum. Si me admiseris intra latissimum tuæ misericordiæ sinum, non erit angustior propter me Domine. Admitte ergo, ô desideratissime IEsu, admitte me intra numerum electorum tuorum, ut cum illis te laudem, te perfruar, glorier in te, inter omnes, qui diligunt nomen tuum; qui cum DEO Patre, & Spiritu Sancto, gloriaris per interminata sæcula.

Pro-

Prototypon ſeu Methodus veræ Pœnitentiæ, & confeſſionis.

Sanctus Bernardus ſerm: 3. in feſto S. Andreæ Apoſtoli. circa dimidium: mihi fol: 331.

OStendam tibi unum juſtorum juſtiſſimè confitentem. Quæris quis nam ſit? Pſaltes Domini eſt. Dixi, inquit, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Dixi, hoc eſt, in corde propoſui, non coactus, non compulſus, ſed ſpontaneus. Injuſtitiam meam, ait, non alienam, adverſum me arguens, & accuſans. Vides, quia non timore alteriùs, vel ad alium accuſandum, ſed ſeipſum Sanctus Domino confitetur. Pro hujuſmodi confeſſione, remittes tu Domine impietatem peccati mei. Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Hæc præmium in corde germinat ad juſtitiam: pòſt hæc in ore naſcitur ad ſalutem. Primus ejus gradus eſt cognitio peccati. In hac cognitione videndum eſt, quid egeris, quantis contumeliis affeceris corpus tuum, ambulans paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant DEUM, poſſidens vas tuum in immunditia & vilitate, non in ſanctificatione & honore. Conſiderandum eſt etiam quem merueris ignem, ſcilicet illum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus, & omnia genera pœnarum, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur & creſcunt. Inſpiciendum verò, quid amiſeris, bona videlicet illa, quæ non oculus vidit, & auris non audivit, & in cor ho-

minis non aſcenderunt, quæ paravit Deus diligentibus ſe. Horum igitur omnium conſideratione perterritus tranſi ad pœnitentiam ultricem vitiorum, altricem virtutum. Pœniteat, quòd tot & tantis flagitiis involutus, in luto fæcis & miſeriæ diutiùs jacuiſti. Pœnitentiam agens corpus tuum conteras, & furibundo carnis aſello incentivorum ſemina ſubtrahens, pœnitenda ampliùs non admittas, ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas oſſa animæ tuæ; quæ cuſtodit in juſtis Dominus, unum ex his, inquam, non conteretur. Nam hæc duo ità ſibi invicem conjuncta ſunt, ut ſe cognoſcere nemo poſſit, niſi pœniteat: & pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens, transvola ad tertium gradum, dolorem cordis, & jam plantata erit juſtitia plantatione illa, quam plantavit pater tuus cæleſtis. Dole igitur, quia Creatorem offendiſti, cujus legem cæleſtia & terreſtria præter te indefeſſa ſtatione conſervant: & in tanta Republica Dei tu ſolus peregrinus es, & imperatoriæ majeſtatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quòd cum Creatore etiam patrem offenderis, & illum patrem, qui tibi miniſtrat ſiderum curſus, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Accedat & acerrimus qui pertranſeat animam tuam, quòd tantum benefactorem contempſeris, qui dolorem crucis ſuſtinuit, ne dolores inferni ampliùs ſuſtineres. Sic igitur in interiori homine juſtitia germinante, ſurculus erumpat in arborem, & loquatur lingva, quod ſcientia loquebatur. Quartus itaq; gradus eſt Confeſſio oris.

Hæc

Hæc purè facienda eſt, quia non eſt pars una peccatorum dicenda, neque levia confitenda, & gravia diffitenda. Nec alter accuſandus, & ipſe excuſandus, ſed cum juſto dicendum eſt: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hæc enim ſunt verba malitiæ, & gravis malitiæ, qua gravior vix poſſit eſſe. Confitendum eſt, & humiliter, ut idem ſit in corde, quod ſonabit in ore. Sunt enim nonnulli qui narrare in confeſſione ſolent, quæ vel argutè literatorio, & fortiter gladiatorio geſſere conflictu; prô dolor! ſub humilitatis pallio ſuperbiam inducentes, & putantes ſe poſſe vitare oculos judicis cuncta cernentis. Nonnè utique Reges Saul & David redarguti â Prophetis, Samuele & Nathan, dixerunt, *peccavi*? Et tamen Saul audivit: tranſtulit Dominus regnum tuum â te, & dabit illud æmulo tuo: & David; tranſtulit Dominus peccatum tuum, &, non morieris? Quid eſt hoc? Niſi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde: & humilitas, quæ in ore David extitit, in corde etiam radiavit? Dicendum eſt & fideliter, ut in fide Eccleſiæ credat ſibi peccata dimitti: quia Cain & Judas purè & humiliter confeſſi ſunt, ſed nequaquam fideliter, quia alter eorum deſperans ad laqueum cucurrit; alter illud grande ſcelus evomuit: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Mentiris latro, quia major eſt pietas Dei, quàm quævis iniquitas; quia miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Sequitur quintus gradus, maceratio Carnis, quæ jejuniis & vigiliis attenuanda eſt, ne nova prurigine voluptuo-

ſam revolvat pravitatem. &c. Sextus, qui eſt correctio operis. Probibe ergo linguam tuam à malo, operare quod bonum eſt, & ſenſuales motus tuos continentiæ frænis infræna, & ſic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro perſona quam habes; & te præſente juſtitiam non ſinas ſepeliri. Septimus gradus eſt perſeverantia bonitatis. Et in hoc ſeptimo vocabit te Dominus cum Moyſe de medio caliginis: & in ipſam divinitatis ſubſtantiam interiores oculos infiget. Perſeverantiam autem faciunt exſpectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ ſpiritûs & donum cæleſte, de quibus loquitur Apoſtolus: quod nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quæ ſunt Spiritus Dei.



LI-



Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo: facta eſt quaſi vidua Domina gentium: princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Plorans ploravit in nocte, et lacrimæ ejꝰ in maxillis ejꝰ: non est qui consoletur eam ex omnibꝰ charis ejꝰ: omnes inimici ejꝰ ſpreverunt eam, et facti ſunt ei inimici. Thren: 1. v. 1. 2.

C. Tanquart. del: Melchior Haffner ſc.

LIBER QUINTUS.

THRENI

Sive

LAMENTATIONES JEREMIÆ.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PLangit desolationem Jerusalem, non primam sub Joachin, sed extremam sub Sedecia templo combusto: atque per antithesin prioris statûs & felicitatis, bona cum malis posterioris, puta excidii, & captivitatis confert. Sic Christus allegoricè flevit super Jerusalem vastanda per Titum. Lucæ 19. 41.

Tropologicè luget hic Jeremias captivitatem animæ sub peccato, inquit Origenes, quæ in Babylone, id est vitiorum confusione, inquit Olympiodorus, vincta tenetur: hæc enim Deo sponso suo viduata, vectigalis facta diabolo, in singulos sæpè dies, imò horas, novorum malorum operum & lapsuum, novæque culpæ æquè ac pœnæ ei pendit tributum: ideóque exulat, & proscripta est à Deo, à cælo, à sanctis, & Angelis,

ab omni bono & virtute. Diabolus enim est verus Nabuchodonosor, id est, insessio angustiæ, ait Olympiod, scilicet est crudelissimus tyrannus. Quocirca B. Isaias Abbas tom. 2. Biblioth. SS. PP. orat. 29. lamentationes animæ peccatis subditæ instar Threnorum Jeremiæ conscripsit, in quibus inter cætera sic plangit. *Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spacio voluptati dediti sumus: quia ut iniquæ, & brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos jucundissimo divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus. Væ nobis, qui carnem nostram, quæ in putredinem resolvenda est, & vermium esca futura, in peccatis fovemus & enutrimus: nec ignem, in quo sumus perpetuò excruciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimescimus. Væ vobis, qui mortalitatem cum immortalitate non comparamus, & divinam ac formidandam rectitudinem negligimus. Væ nobis, qui corporis morbos & dolores tam facilè sentimus, in animæ autem ægritudinibus & vulneribus gravissimis caremus omni sensu. Væ nobis, qui cùm de omni actione, de omni verbo otioso, de omnibus denique improbis & impuris cogitationibus rationem reddituri sumus apud judicem severissimum: tamen, tanquam liberi simus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxii, totum vitæ nostræ tempus sine ulla hujus rei solicitudine transigimus. Væ nobis, qui pulicum, & lendium, & pediculorum & muscarum, & culicum, & apum morsus atque aculeos ferre non possumus, ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit ut nos devoret, & absorbeat, omnibusque pestiferis mortis aculeis vulneret. nec studemus aufu-*

aufugere, nec ullum adversus eum imploramus auxilium. Hæc B. Isaias Abbas. Est ergo, ac peculariter, Ierusalem, anima, quæ peccato mortali consentiens, statu justitiæ, & regno Dei privata, dæmonis regnum, jugum, & tyrannidem subit, & clades longe majores, quàm Ierusalem olim, vel quodvis Regnum aut Respublica eversa, experiri, & perpeti cogitur, ut meritò pœnitens Threnos hosce usurpet, ac inter alia dicat illud cap. 3. vers. 12.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ, & v. 15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Exempla & lamenta pœnitentium stupenda vide apud Climacum gradu. V. de pœnitentia. Item in vita S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, & S. Pelagiæ pœnitentis. Audi & Hieronymum de seipso epistolâ ad Florentium. *Ego cinis, & vilissima pars luti, & jam favilla. Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Sed tamen quia Dominus solvit compeditos, & super humilem & trementem verba sua, requiescit: forsitan & mihi in sepulcro scelerum jacenti dicat: Hieronyme, veni, foras.*

I.

Aleph. *vers. I.*

Q*Ui sedet sola Civitas*
Plena calamitatis?
Quam obruit crudelitas,
Et horror vastitatis?
Quondam *referta populo*,
Et dives inquilinis,
Suo incumbit tumulo,
Et Patriæ ruinis!

2.

Illa *Regina Gentium*
Urbs, Hera Populorum,
Illa in se frementium
Hostilium armorum
Victrix Amazon præliis,
Herois gloriosa
Victoriis & spoliis
Regnorum speciosa.

3.

Augusta vectigalium
Princeps Provinciarum,
Fœcunda tot regalium
Mater divitiarum
Est facta tributaria
Nuper cogens tributa.
Coronâ, Sceptro, gloriâ,
Throno, exul exuta.

4.

Ergóne illa Civitas?
Hæc Domina Terrarum?
Illa mundi felicitas
Emporium palmarum,
Illa Dei lætitiæ,
Et Hortus Voluptatis,
Theatrum sit sævitiæ,
Forum crudelitatis?

5.

Illa corona Urbium,
Et Thronus Deitatis?
Illud Dei sacrarium,
Et Decus sanctitatis?
Illud Orbis miraculum,
Augustum Salomonis
Templum fiat prostibulum
Turpis vastationis?

6.

Illa, quæ quondam *steterat*
Pallas armata scuto,
Sceptróq; gentes presserat,
Egitque sub tributo,
Nunc *sedet*? non victoriis
Ut quondam partis fessa,
Sed hostium injuriis
Et cædibus oppressa?

7.

Beth. *vers.* 2.

Juges *ploravit Vidua*
Noctes, diesq; plorans,
Et flumina decidua
In genas mœsta rorans,
Salsis rigavit imbribus
Et sinum & maxillas,
Et fatigavit fletibus
Continuis pupillas.

8.

Curis immersa maximis
Expers solatiorum,
Dum fræna laxat lacrimis
Et stimulis dolorum,
Non est ex charis omnibus
Qui consoletur Eam.

Non

Non eſt in tot angoribus
Qui levet ope ream.

·9·
Quin & vetus evanuit
Societas charorum,
Et quem juratum habuit
Amorem amicorum,
Verſus amor in odium,
Et favor in furorem,
Fides in fœdifragium,
Et candor in livorem.

10.
Heroum tot excidia
Cùm memini meorum,
Quos pepulit invidia
In Regna Exterorum,
Horrore mens concutitur,
Et ſternitur pavore,
Et æſtuat, & angitur,
Et pallet amarore.

11.
Ghimel. *verſ.* 3.
Subire quot exilia
Quot juſſi regiones?
Mutare domicilia,
Adire Nationes?
Migravit Judas improbam
Propter afflictionem,
Et Patriæ miſerrimam
Captæ vaſtationem.

12.
Preſſêre tergum onera,
Juges manum labores,
Senſere flagrum latera
Et verberum dolores.
Chaldæus ut mancipia
Subjecit ſervituti,
Intérque fuſtuaria
Exegit vim tributi.

13.
Paternis procul laribus
Extorris habitavit,
Ceu preſſa torcularibus
Sub mole ſuſpiravit.
Externis juſſa ſedibus
In arcto captivari,
Et ſtrictis in compedibus
Seríſque vinculari.

14.
Nullo quieſcit tempore
Corpus feſſum labore,
Multo gravatur onere,
Plagatur & livore,
Cunctos inter maſtigias
Hæc prima numeratur,
Intérque tot anguſtias
Oppreſſa deſolatur.

15.
Quocunque pedem preſſerit,
Premit & indagatur.

Quam

Quâ ſemel cùm prehenderit,
Velut feram Venator,
Adſtringit nervo mancipem
Reginam Libertatis,
Et Palæſtinæ Principem
In probrum vaſtitatis.

16.

Vaſtatæ lugent ſemitæ,
Et tramites viarum,
Squalent Sionis orbitæ,
Et calles Solymarum,
Arx ſancta horret ſentibus,
Et aditus geniſtis,
Graminibus, & vepribus,
Fungis, lappis, urticis.

17.

Daleth, *verſ*. 4.

Hanc Urbis lamentabilem
Gementes vaſtitatem,
Ad, quondam delectabilem
Non ſunt ſolemnitatem
Qui veniant, pacificas
Deo conſecraturi
Et victimas, & hoſtias
Pro noxis litaturi.

18.

Quanta abominatio
In loco ſanctitatis?
Quàm triſtis devaſtatio
Domûs Divinitatis?
Collapſa jacent limina,
Et atria portarum
Et dirutarum culmina
Confracta tæniarum.

19.

Veſtibula ruderibus
Impervia premuntur,
Virgultis & viminibus
Implexis veſtiuntur,
Xyſti, baſes, ceſpitibus
Muſcoque ambiuntur,
Et porticus germinibus
Silveſtribus teguntur.

20.

Sublata Sacrificia,
Aræ, focique frigent,
Pſalmorum Epinicia
Nulla, hymnique vigent,
Sacerdos lûget cinere
Conſperſus, ſacco tectus,
Fletu fœdatur ubere
Doloribus confectus.

21.

Laudum ſanctarum oſcines
Templiq; Philomelæ
Agentes choros *Virgines*
Deo ſacræ Puellæ
Exutæ mundum, *ſqualidæ*
Sparſo crine neglectæ,
Luctu perenni pallidæ
Mœrore flent confectæ.

22.

Hoc intuens opprobrium
Princeps Provinciarum.

Et

Et Virginum cordolium
Et lacrimas suarum
Gemit amaritudine
Angustiis oppressa,
Et mentis ægritudine
Agonis vim perpessa.

23.

Alpha quondam tot millium
Et caput populorum,
Omega est hostilium
Et cauda Chaldæorum,
Augusta nuper Domina
Tot Regum subjectorum,
Plebeia facta fœmina
Est serva famulorum.

24.

Raptis hostes divitiis
Ejus locupletati,
Arces, cæsis præsidiis,
Domósque deprædati,
Regnorum opes plurium
Una tulit rapina,
Cunctarum Urbem Urbium
Una texit ruina.

25.

Hoc in Eam exitium
Deus exacerbatus,
Et Populi excidium
Ob tot ejus reatus,
Immisit, Vaticiniis
Ab Eo tot prædictis,
Signis tot, & prodigiis
Cælo minante pictis.

26.

Vix fari doctos parvulos
Gressúsque promovere,
Trimos, quadrimos, quimulos
Hostes abripuêre,
Ignaros quid calamitas,
Matre raptum spectante,
Ignaros quid captivitas,
Incassùm ejulante.

27.

Chaldæus innocentium
Instar ovicularum,
Hostis ducit balantium
Greges, â maternarum
Mammarum raptos finibus
In longam servitutem,
Et his, conjunctam funibus
Captivam juventutem.

28.

Vau. *verf. 6.*

Quò pulcra Sion Filia
Superbus ruit cultus?
Quò speciei gloria?
Amœnitásque vultus?
Quò pulcra frontis lilia?
Quò stellæ pupillarum?
Labrorum quò corallia?
Et purpura genarum?

29. De-

29.

Decor omnis evanuit,
Pessum iit venustas,
Formæ rosa evanuit,
Et corporis majestas,
Flavus crinis incanuit,
Exaruêre genæ,
Murex oris disparuit,
Obriguêre venæ.

30.

Facti sunt ejus Principes
Afflicti, desolati,
Vincti *velut arietes*
Annonâ spoliati,
Mentis amaritudine
Faméque macerati,
Viarum lassitudine
Curis emaciati.

31.

Duro pulsis satellite
Captivos subsequente,
Urgente gressum milite,
Et taureâ cogente,*
*pellente
Mora brevi quiescere
Non datur fatigatis,
Nefas est ingemiscere,
Et queri flagellatis.

32.

Zain. *vers.* 7.

Hæc pensans in doloribus
Angoribusque pressa,
Revolvit quæ prioribus
Fuit annis perpessa,
Ægra mente *Jerusalem*
Dies afflictionis,
Statúmque lamentabilem
Prævaricationis.

33.

Delicti culpam recolit
Heu! nimiùm frequentis!
Quâ pœnas rea pertulit
Immanè delinquentis!
Et desiderabilium
Quæ perdidit suorum,
Nobilium, regalium,
Honorum & Bonorum.

34.

Subit mentem conditio
Fortunæ blandioris,
Et vetus dominatio
Imperii prioris,
Quo populus est fruitus
Ter felix, ter beatus,
Priusquam foret subditus
Hostíque subjugatus.

35.

Orbæ cunctis auxiliis
Et malis aggravatæ,
Sannis, jocis, ludibriis
Probrisque despicatæ,
Idume risit Sabbata,
Spreverúnt Moabitæ,

Ut

Ut ludrica phantasmata
Damnarunt Ammonitæ.

36.

Heth. *verʃ.* 8.

Hæc ne mirare fulmina,
Nec tristes hasce scenas,
Movêre Numen crimina
Ultrices in has pœnas,
Peccatum grande Solyma
In Dominum peccavit,
Hinc gemitus, hinc lacrima,
Quam jugiter ploravit.

37.

Hinc laris inconstantia,
Hinc fons captivitatis,
Hostilis hinc licentia,
Hinc vis crudelitatis,
Hinc ortum ignominia
Hinc turpitudo duxit,
Pudoris & infamia
Hinc prostituti fluxit.

38.

Teth. *verʃ.* 9.

Sordes ejus in pedibus
Turpè commaculatis,
Illuvies in vestibus
Fœdùm contaminatis,
Non sensit in delitiis
Suam perditionem,
Non vidit cæca vitiis
Abominationem.

39.

Non recordata Numinis
Non sui *memor finis*,
Non castigandi criminis
Tot præsignati signis,
Hinc corruit *deposita*
Sine consolatore,
Suóque ob demerita
Torquetur amarore.

40.

Vide, & audi supplicem (a)
Te Deus deprecantem,
Suspende manum vindicem,
Ne ferias peccantem,
Intende grandem hostium
In me afflictionem,
Fastúmque dominantium
Et insultationem.

41.

Jod. *verʃ.* 10.

Hostilis avaritia
Opum anhela sitis,
Et impotens audacia
Vi sustulit invitis,
Quidquid Majorum Pietas
Collegit in thesaurum,
Templique fovit sanctitas
Argentum, gemas, aurum.

42.

Prædatrix in æraria
Se manus penetravit,
Quin

(a) Propheta nomine Jerusalem ad Deum se convertit, ut se à tanta clade eripiat.

Quin ipsa Sanctuaria
Audax exspoliavit,
Non arcæ, claustra, scrinia,
Non abditi recessus,
Quos ferâ non licentiâ
Prædo esset ingressus.

43.

Noxæ nempè supplicium
Est pœna perpetratæ;
Et omnium exitium
Mens legis violatæ.
Vetantis, ne de gentibus
Pes Templum subintraret,
Aut tacta polluentibus
Quis Sancta violaret.

44.

Locus pateret nemini
Plenus Divinitate,
Dei sacratus numini
Tremendus Majestate;
Sin, irritati Numinis
Reos, Deus feriret:
Sacrilegique criminis
Nocens morte periret.

45.

Caph. *vers.* 11.

Fœnæ interminatio
Sequuta delinquentes,
Effrons prævaricatio
Corripuit nocentes,
Hinc populi sunt gemitus,
Hinc graves ejulatus,
Hinc lacrima, hinc fremitus
In cælum evibratus!

46.

Siccis clamat visceribus
Grandem gravare famem,
Amicis, & ex hostibus
Non est qui præstet *panem.*
Aurum, gemmas, monilia,
Et quæque pretiosa
Ad saturandum ilia
Gens dedit luctuosa.

47.

Vide contemptum Domine
Et miserùm egentem!
Tuo dignare lumine,
Me intuere flentem,
Abjectum me considera
Ut putre oris sputum,
Detrusum inter stercora
Et vile terræ lutum

48.

Lamed. *vers.* 12.

Obestor vos, *attendite,*
Quicunque, hac transitis
Aut presso statis tramite
Et me consideratis!
Videte num sit similis
Dolor meo dolori,
Aut magis lacrimabilis
Mœror meo mœrori.

49. Ma-

49.

Matura velut vinea
Botris vindemiatur;
Et triticum de palea
Excussum ventilatur,
Sic *me in ira Dominus*
Sua eventilavit,
Et ut cum Uvis pampinus
Sic me vindemiavit.

50.

Mem. verf. 13.

Quæ causa sit doloribus
Si quæris, & mœroris?
Deus misit in ossibus
Ignem sui furoris:
Meos occidit Principes,
Meos stravit Dynastas;
Ducésque fecit mancipes,
Et clausit in catastas.

51.

Ille succendit hostium
Et iras & mucrones,
Portis mearum Urbium
Immisit HIC prædones,
Qui hortos, agros, prædia
Ceû carnes consumpserunt,
Arces, turres, palatia
Ceû ossa confregerunt.

52.

Sic erudivit impiam
Vitæ felicitatem,
Sic plexuit superbiam;
Sic morum libertatem:
Ut auri adulteria
Ignis flammâ probantur;
Sacerdos; & sacraria
Sic hoste castigantur.

53.

Feræ clauduntur retibus,
Aves visco stringuntur;
Expandit meis pedibus
Sic *rete*, quo cinguntur;
Nullum captis effugium
Ut uspiam pateret,
Cùm omne fugæ spacium
Vis hostis obsideret.

54

Astu si fors elabitur
Fugámque meditatur;
Retrorsum mox convertitur,
Et fortiùs ligatur,
Luítque fugam taureâ
Culpámque scipione,
Mœstus, confectus felleâ
In desolatione.

55.

Ad grande hoc supplicium
Et mala tot inflicta,
Grande coëgit vitium
Sæviret ut vindicta;
Contempta tot consilia
Vatum prædictiones,

Cæleſtia prodigia,
Interminationes.

56.

Sit læſa patientia
Eſt verſa in furorem,
Et Numinis Clementia
In Criminis *Actorem*,
Inter meas ineptias
Altùm me dormiente
Duxit de me vigilias
Nil minùs pœnitente.

57.

Jugum meorum criminum
Attentum *vigilavit*,
Et contractorum nominum
Reatus numeravit,
Noxas meas ad calculos
Et notas revocavit,
Et ad bilancem ſcrupulos
Et atomos notavit.

58.

Hic ille vigil oculus
Qui cuncta intuetur,
Cui reus viſus populus,
Cùm prævaricaretur,
Hæc illa *Virga vigilans*
Olim Prophetæ viſa
Florens, gemmans, & germinans
In ferulam præciſa.

59.

Hæc vidit jugum humeris
Et lumbis deſignatum,
Ponderibus innumeris
Et probris aggravatum,
Implexum mille vinculis
Et nodis alligatum,
Quod Solymarum bajulis
Impoſuit peccatum.

60

In manu ejus dextera
Sunt omnes convoluta
Iniquitates, aſpera
In plauſtra conſtitutæ,
Meis colli cervicibus
Impoſitæ, ferendæ,
Defixis humi frontibus
Æternùm pœnitendæ.

61.

Sic Dominus me tradidit
In hoſtium meorum
Manus, & *Heram* ſubdidit
In famulam ſervorum,
Ab hac licebit ſurgere
Nunquam depreſſione.
Nec liberum abſcedere
Ab hac ſubjectione.

62.

Samech, *verſ.* 15.
Calamitatem attulit
Deus calamitati,
Vires, & robur abſtulit
Meæ poſteritati,
Omnes meos *Magnificos*
Abduxit in catenis.

Duces,

Duces, Toparchas, Inclytos,
Vt feras in habenis.

63.

Privata ſum Magnatibus
Opéque deſtituta,
Dynaſtis, & Principibus
Et Ducibus exuta;
Honoribus & opibus,
Fortunis ſpoliata,
Cachinnis, jocis, riſibus,
Contemptuíque data.

64.

Vocavit tempus Gentium
Et *tempus* ultionum,
Tempus me perſequentium,
Meósque, Nationum
Tempus ſtatutum hoſtibus
Et cædis, & rapinæ,
Tempus maturum caſibus
Et ultimæ ruinæ.

65.

Tempus Dei judicijs,
Et fixum, & firmatum,
Tempus juſtis ſuppliciis
In pœnas deſtinatum,
Tempus iræ & fulminis,
Tempus Vaſtationis,
Horroris & formidinis
Seræ contritionis.

66.

Ut torculari pampinus
Et Uva conculcatur,
Sic in vindictam Dominus
Ut premat, excitatur,
Torcular calcans Virgini
De Juda filiarum,
Non parcens molli ſanguini,
Nec imbri lacrimarum.

67.

Ain. *verſ.* 16.

Hæc tanti cauſa gemitûs,
Jugis origo fletûs,
Doloris fons & fremitus,
Cordis mei ſecretus,
Hæc palpebras rubeſcere,
Hæc hirquos ſanguinare,
Hæc me fecit palleſcere
Et pænè exſpirare.

68.

Hæc tempeſtates excitat,
Hæc fluctus & procellas,
Hæc animæ præcipitat
Naufragio tabellas,
Hæc ærumnarum æſtibus
Abſorbet in abyſſum,
Et cor, furoris rupibus
Dilaniat alliſum.

69.

In hoc mentis diluvio
Merſæ felicitatis,
Et lugubri naufragio
Magnæ Poſteritatis,

Non est qui promptam dirigat
Tabellam naufraganti,
Non est qui dextram porrigat
Cum fluctibus luctanti.

70.
Procul à me solatia,
Procul spes amicorum,
In hac sortis licentia
Et cumulis malorum,
Non est qui mœstam erigat,
Soletur desolatam,
Non est opem qui suggerat,
Aut levet desperatam.

71.
Qui animam de corpore
Jam propè fugientem,
Vitæ privatam robore
Reducat, & gementem
Inter mentis angustias
Jacturam filiorum,
Per hostium ferocias
Crudeliter raptorum.

72.
Phe. *vers.* 17.
Expandit Sion dexteram
Expandit & sinistram,
Nemo manum opiferam
Nemo præbet ministram,
Vigore destituitur
Instar parturientis,
Soluta nervis labitur
In morem morientis.

73.
Mentis passa deliquium
Sensúque destituta,
Suspiriis auxilium
(Vocis impos) locuta,
Implorat pansis manibus
In altùm exporrectis;
Et vocibus inanibus,
Et verbis imperfectis.

74.
Sed aures surdæ supplicis
Sprevêre ejulatus,
Neglecti questus mancipis.
Et miseri ploratus,
Nil movit miserabilis
In morte natans vultus;
Nil status lamentabilis,
Nil funebris singultus,

75.
Frustrà precatur nutibus,
Non est qui suffragetur:
Et anxiis obtutibus:
Ut quis opituletur,
In hoc vitæ discrimine
Non superest levamen.
Et animæ luctamine
Nemo qui det solamen.

76.
Nec satis est, solaminis
Expertem suspirare,

Novis

Novis decebat machinis
Me, hostes impugnare;
Adversùm Jacob prælia
Chaldæus suscitavit,
Immania, crudelia,
Quæ *Dominus mandavit.*

77.

Iacob vallatus hostibus
Et armis circum cinctus,
Ut cerva clausa retibus,
Manus, pedésque vinctus,
Iacob quondam delitium
Meorum filiorum,
Meorum est servitium
Factus inimicorum.

78.

O sortem lamentabilem,
In qua est constituta
Pulcra quondam Ierusalem
Nunc sordibus polluta,
Effecta despicabilis
Lurore Moabitis,
Vilis, abominabilis,
Exosa Ammonitis.

79.

Sade. *vers.* 18.

Sed nunquid ista merui?
Et merui majora:
Dei legem deserui
Et Prophetarum ora,
Meam rea malitiam
Agnosco perpetratam,
Et Domini justitiam
Me sonte irritatam.

80.

Ad justam *iracundiam*
Os Dei provocavi!
Os stillans mel, ambrosiam,
Nectar, amaricavi!
Cælesti rore melleum
Et svavitate plenum
Læsi, propinans felleum
Absynthii venenum.

81.

Vos Universi populi!
Vos alloquor: *audite*
Onus mei piaculi
Vos, obsecro, lenite!
Videte quo discrucior
Meum, mites, *dolorem*,
Videte, num crudelior
Sit, quem fero furorem.

82.

Heu mihi! meæ Virgines
Captivæ abierunt,
Hostésque, meos juvenes
Constrictos abduxerunt,
In compedes, in vincula,
In turpem famulatum
In carcerum ergastula,
In durum mancipatum.

83.

Coph. *vers.* 19.

Tantas inter angustias
Ab hostibus obsessa,

 Expe-

Expetii ſuppetias
Vi bellica oppreſſa,
Amicos in auxilium
Vicinos advocavi,
Nec opem nec conſilium
Decepta impetravi.

84.

Senes mearum Urbium
Juſtitiæ Zelotes
Sacrorum Patres cultuum
Legumque *Sacerdotes*,
Summa inter pericula
Grandes adverſitates,
Aſyla, & oracula
Inter neceſſitates.

85.

Captivi ſunt in Urbibus
Infamiter proſtrati,
Crudeliter ab hoſtibus
Ingreſſis trucidati,
Conſumpti ſunt inediâ,
Cùm *panem quæſierunt*,
Et præ victûs inopia
Infandùm periêrunt.

86.

His tribulor tortoribus,
Has fero feritates;
His angor oppreſſoribus,
Has gemo vaſtitates;
Aſt Tu miſertus Domine
Afflictam intuêre,
Meique, in diſcrimine
Tam gravi miſerere.

87.

Me Tui vultûs lumine
Compatiens dignare,
Et modico lenimine
Luctu plenam ſolare.
Te moveat calamitas,
Plagarum multitudo,
Tua me ſalvet Bonitas,
Tua me manſuetudo.

88.

Venter meus, & viſcera
Turbata ſunt dolore;
Ceû venenato vipera
Hæc corroſiſſet ore;
Et ut aquæ ferociunt,
Turbatæ provolvuntur,
In me ſic cuncta ſæviunt,
Turbantur, & ſolvuntur.

89.

Vt proceloſis volvitur
Concuſſum mare ventis,
Fluctúque fluctus pellitur
Æſtu Ponti furentis,
Navis jactata tollitur,
Malóque nubes ferit,
Sic meum cor ſubvertitur
Et in ſeipſo perit.

90.

Sua charybdis mentibus
Eſt his rupes Scyllæa,

Alli-

Allisum cor his æstibus,
Hauritur & Maleâ,
Sorbetur tempestatibus
Atrocibus angorum,
Obruitur vorticibus
Dolorum internorum.

91.
Gurgitibus his innatat
Amaro luctus salo,
Et intricatus palpitat
Perditionis malo;
Malo, quo terribilius
Non potest irrogari,
Foris occidit gladius,
Domi Mors cade pari.

92.
Schin. *verf.* 21.
Auditi mei gemitus,
Auditi & singultus,
Visi sunt oris fremitus
Et vidualis cultus,
Visa cordis contritio,
Et sudor agonalis,
Visa mentis confusio,
Et vultus mortualis.

93.
Nemo qui lapsam erigat,
Nemo qui mœstam levet,
Nemo qui flentem corrigat,
Et perituram servet,
Amici solam deserunt,
Et inimici rident,
Popismis me afficiunt,
Et in me dente strident.

94.
Gaudent in meis luctibus
Videntes lacrimantem,
Exultant in doloribus,
Premúntq; deprecantem,
Improperant supplicia
A Te Deus inflicta,
Et oggerunt convitia
Addúntque maledicta.

95.
Tuam paternam ferulam
In me justè vibratam,
Mihi vertunt in fabulam
Et exprobrant illatam,
Effutiunt injurias,
Et execrationes,
Vomúntque contumelias,
Et imprecationes.

96.
Post tot vicissitudines,
Post tot adversitates,
Post tot amaritudines,
Post tot acerbitates,
Inter rerum discrimina,
Tot inter tempestates,
Tot inter belli fulmina
Vitæ calamitates.

97.
Adduces rursus auream
Lucis serenitatem

Jubar-

Jubárque solis, roseam
Vultûs amœnitatem,
Adduces diem gratiæ
Et consolationis,
Et pristinæ lætitiæ
Et Gubernationis:

98.

Tunc Babylonis gloriam
Fastúmque insolentem,
Et improbam victoriam
Cædémque innocentem,
Ægyptiam superbiam
Cyrus humiliabit,
Idumis & potentiam
Roburque dissipabit.

99.

Arma, currus, & equites,
Acervos spoliorum,
Hastarios, & pedites,
Et fructus præliorum,
Enses Medorum demetent,
Acinaces Persarum,
Rapinas lectas colligent
Prædas Provinciarum.

100.

Hi surgent justi vindices
Mearum lacrimarum,
Ultores hi & judices
Graves injuriarum,
Hi de tristi eripient
Vinctam captivitate,
Et exulem afficient
Primæva libertate.

101.

Lux orietur tristibus,
Diésque Genialis,
Sed eadem lux hostibus
Meis exitialis,
Chaldæis lamentabilis
Dies vastationis,
Et miseranda flebilis
Lux demolitionis.

102.

Reddetur pro tyrannide
Par hostibus tyrannis,
Versaque ephemeride
Et revolutis annis,
In hos revertent tempora
Quibus afflicta fui,
Feréntque capti onera,
Sub quibus pressa fui.

103.

Dies optati venient
Paratæ ultionis,
Iustæque pœnam sentient
Maturam talionis,
Mihíque pares, furiis
Æqualibus plectentur.
Et paribus injuriis
Vastati consumentur.

104. Thau.

104.
Thau. *verſ.* 22.
Omne Te eorum judice
Malum ingrediatur.
Tuóque ſcriptum codice
Palàm aperiatur,
Culpæ, pœnæque pateat
Eorum omne ſcelus,
Tuúſque tantas cenſeat,
Pleĉtátque noxas Zelus.

105.
Fac Domine conſidera
Tot indices malorum!
Juſtáque lance pondera
Malitias illorum,
In me ſummis injuriis
Protervè perpetratas,
Et additis opprobriis
Crudeliter illatas.

106.
Effuſum Deus ſanguinem
Fac vindica tuorum,
Et parem mitte grandinem
In verticem eorum,
Ejaculare fulmina
In me quondam vibrata,
Pœnáque pari crimina
Luant mihi illata.

107.
Sic par *vindemiatio*
Reos examinabit,
Et æqua *racematio*
Prædantes decimabit,
Sic quæ Tua juſtitia
In me nuper damnavit,
Tua quoque ſententia
In hoſte caſtigabit.

108.
Audi Deus ſuſpiria!
Anhelitus gementis!
Exaudi deſideria
Immaniter dolentis,
Mœrore cor affligitur,
Et mens anguſtiatur,
Doloribus conſumitur,
Et pœnè enecatur.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EST hîc ſecundum alphabetum carminis lugubris, quo rurſum Ieremias plangit, non tam regni Iudaici, quàm Urbis Hieroſolymæ, & templi incen-

dium & everſionem per Chaldæos, præſertim verò refricat priſtinum ejus ſplendorem & gloriam, qui per excidium planè obſcuratus, attritus & extinctus eſt. Ita Euſeb. Rupert: Hugo, Lyran.

I.

Aleph. *verſ.* 1.

H*Eu quomodo caligine*
Obtexit in furore,
Sublato ſolis lumine,
Et ſiderum ſplendore,
Deus *Sionis Filiam*,
Et tenebris velavit,
Omnémque tantæ gloriam
Lucis obnubilavit!

2.

De ſummo cæli culmine
Regalis dignitatis
Orbatam omni numine
Auguſtæ poteſtatis,
Præcipitavit inclytam
De Iſraël Reginam,
Allidens terræ ſubditam
Regnorum Heroinam.

3.

Nil hîc priorum profuit
Elenchus gratiarum,
Nec victimarum habuit
Pondus præteritarum,
Magnorum neque ſanctitas
Mira Patriarcharum,
Tantorum nec authoritas
Illuſtris Prophetarum.

4.

Urbis magnificentia
Nihil divinæ menti:
Nec Templi reverentia
Nec Arca Teſtamenti,
(Scabellum ſuppedaneum
Quæ ſunt pedum tuorum)
Minas, & ſubſequentium
Plagas fregit furorum.

5.

Beth. *verſ.* 2.

Non recordatus omnium,
Quæ fecerat, bonorum,
Non innumerabilium,
Quæ præſtitit, donorum,
Sed *hanc* implacabiliter
Deus præcipitavit,
Et irremiſſibiliter
Damnatam caſtigavit.

6.

Durus miſericordiæ,
Surdus audire preces,

Furore

Furore iracundiæ
In sævas pronus neces,
Exosus quidquid habuit
Iacob delitiosum,
Et omne pulcrum arguit
Sprevitque speciosum.

7.

Augustum, delectabile
Amabile decore
Suo, ceu execrabile
Destruxit in furore,
Robustæ, *Juda Virginis*
Captæ *munitiones*.
Effusi factæ sanguinis
Sunt devastationes.

8.

Dejecit augustalia
Et tristega domorum;
Marmorea Palatia
Anterides murorum,
Castella. moles turrium,
Loricas devastavit,
Et sepimenta Urbium
Æquata solo stravit.

9.

Regnum, & regni Principes
Prostratos jugulavit,
Sacros Templo antistites
Ejectos profanavit,
Ædésque sanctas, Gentium
Rapinis expilavit,
Et hostium furentium
Flagello subjugavit.

10.

Ghimel, *vers.* 3.

Robur, & fortitudinem,
Potentiam, Virtutem,
Confregit magnitudinem,
Contudit juventutem,
Ingenium, Potentiam,
Judicium ademit,
In iræ vehementia
Consilia diremit.

11.

Hæc *Israëlis cornua*
(Regni felicitatem
Talenta æris annua,
Opum immensitatem,
Superbam arrogantiam
Summo gravem tumore,
Et morum insolentiam)
Suo stravit *furore*.

12.

Non, ut priùs, exhibuit
Se hosti formidandum,
Dextram, nec vires tribuit
Ad fortiter bellandum,
Ne jactabunda diceret
Ut *veni, vidi, vici*,
Sed victa tremens fugeret
A vultu inimici.

13. *Aver-*

13.

Avertit in contraria
Et dexteram retrorsum,
Inter & adversaria
Non faciem, sed dorsum,
Ostendit, persequentibus
Vultûs amœnitatem,
Et *Eam* deprædantibus
Dedit prosperitatem.

14.

Zelus illius suscitat
Justitiæ favillas,
Et in Jacob præcipitat
Exitij scintillas,
Et ignem purgatorium
Ut *flamma devorantis*,
Ipsúmque sanctuarium
In gyro devastantis.

15.

Daleth. *vers.* 4.

Sagittis, arcu, pharetrâ,
Nervo, ferro armatus,
Spirans irarum fulgetra
Vultu mortem minatus.
Caput indutus Galeam
Firmam pectus loricam,
Accinctus latus frameam
Et Martialem sicam.

16.

Ut inimicus irruens
Arcum suum tetendit,
Firmúmque, dextram exerens,
Ad jaculum extendit,
Et quasi hostis spicula
Nervo emissa sparsit,
Et in mea pericula,
Exasperatus arsit.

17.

In cædes, & in funera
Patranda comparatus,
Ipsa Sionis viscera
Est ferro perscrutatus,
Nullis affusis precibus;
Nec lacrimis placandus,
Ut abstineret necibus
Parcendo exorandus.

18.

Quidquid *Sionis Filia*
Dives aut speciosum,
Inter sua Cimelia
Gemmásque pretiosum,
Quid quid in *tabernaculo*
Servârat thesaurorum,
Hoc cecidit sub capulo
Furentium armorum.

19.

Effugit nil acinacem
Arcúmque fulminantem,
Plagam tulit multiplicem
Dextrámque funerantem,
Immisit velut igneos
Iræ suæ serpentes,

Sulphu-

Sulphureos, & piceos
Supplicij torrentes.

20.

He. *verſ. 5.*

Patris perſonam exuit
Et faciem amici,
Severi vultum induit
Et frontem inimici,
Nullam vibrabant lumina
Mentis ſerenitatem,
Sed fulgura & fulmina,
Cordisque tempeſtatem.

21.

Bella, *quaſi* hoſtilia
Furores & rapinas,
Spirabant ſupercilia
Excidia, ruinas,
Præcipitavit omnia,
Quæ Iſräel exſtruxit,
Et diſſipavit mœnia
Quæ funditùs deſtruxit.

22.

Munitionum robora
Illius diſſipavit,
Palatiorum decora
Solo coadæquavit,
Subſtructiones diruit
Labore portentoſas,
Molésque, queîs intumuit,
Splendore faſtuoſas.

23.

Juda replevit Filiam
Plagis *humiliatam*,
Ademit ejus gloriam
Probris *humiliatam.*
Juda replevit Filium
Flagris *humiliatum*,
Hoſtique fecit ſpolium
Jugo *humiliatum.*

24.

Vau. *verſ. 6.*

Nec ſtetit iræ Domini
In plagis his vindicta,
Nec æquilibris crimini
Pœna juſto inflicta,
Acceſſit huic calamitas
Major calamitati,
Immaniórque vaſtitas
Priori vaſtitati.

25.

Cùm feriis ſeptembribus
Fruges hortis leguntur,
Vindemiis Octobribus
Dulces uvæ carpuntur,
Tunc ſua tabernacula
Cuſtodes vinearum,
Structáque diverticula
Tollunt vigiliarum.

26.

Sic ſuum viridarium
Hortúmque diſſipavit,

Quaſi

Quasi vile tentorium
Disijciens prostravit,
Suúmque Tabernaculum
In devastationem,
Dedit, & *habitaculum*
Quasi papilionem.

27.
Formosa Templi facies
Ut Tempe gratiarum,
Horti cælestis species
Plantarum divinarum,
Dei præsentis gloriâ
Ut sole illustratum,
Oraculorum copiâ
Ut pluviis rigatum.

28.
Quod instar horti floribus
Cælestibus fragrabat,
Mixtóque flore, fructibus
Ubertim abundabat,
Exterminatis frondibus,
Arboribúsque fractis,
(Proscriptis Sacerdotibus
Pulsis, & vi abactis.)

29.
Lapsa circum maceria
Et sépe dissipata,
Dissecuit plantaria
Fundo eradicata,
Hortúmque fecit omnibus
Expositum rapinis,
Et pascualem morsibus
Et ventribus ferinis.

30.
Horti sui Tentorium
Vastavit in saxetum,
Et nobile pomarium
In triste senticetum,
Ubi luxuriantia
Floruerant Palmeta,
Nunc horrent pullulantia
Vepreta & junceta.

31.
Sic *Dei Habitaculum*
(Hortus deliciarum)
Et *Templi Tabernaculum*
(Cælestium gazarum)
Disparuit & periit
Divina ultione,
Et tumulatus transiit
Cultûs *oblivione*.

32.
Jam altum est silentium
Sion Festivitatis,
Jam Sabbati justitium
Primæque sanctitatis,
Jam via tristem lacrimant *
Lugentes vastitatem,
Eò quòd non quód veniant
Sint, ad solemnitatem.

33.
Nam dedit in opprobrium
Et indignationem,

Cun-

* Jerem. 4. v. 4.

Cunctis in improperium
Et trepidationem
Justo furore Dominus
Regem & sacerdotem,
Ob Abavorum facinus,
Avum, Patrem, nepotem.

34.
Zain. *vers.* 7.
Altare suum repulit
In indignatione,
Ignem ab eo sustulit
Abominatione,
Nec cædi passus hostias,
Nec thura adoleri.
Nec pecudum primitias
Nec fructuum offerri.

35.
Pro benedictionibus
Successit maledictum,
Sanctificationibus
Propudium inflictum,
Pro desiderabilibus
Congeries malorum,
Quondámque *mirabilibus*
Catastæ Barbarorum.

36.
In horum manus tradidit
Fortes turres murorum
Et turritorum perdidit
Arces palatiorum
Indomitâ prædantium
Ferociâ prostratas,
Ferróque sævientium
Ignéque cineratas.

37.
Ad sacerdotum funera
Triumphos cecinêre,
Intérque Templi rudera
Victorias plausêre,
Ubi Chelys & cythara
Laudes canebat Deo.
Nunc sonat taratantara
Profano in Odæo.

38.
Nunc raucùm strepunt tympana
Et clangor lituorum,
Ubi cantus & organa
Et Chori musicorum,
Et vox Numen laudantium
Lusit Psalteriorum,
Ibi clangit lætantium
Celeusma Chaldæorum.

39.
Heth. *vers.* 8.
Justum manet judicium
Divinæ æquitatis,
De reis ut supplicium
Sumat iniquitatis,
Maturis sic consiliis
Sat diu ponderatum,
Ut ultimis excidiis
Plectatur, judicatum.

40. Sic

40.
Sic judicatum: *Filia*
Sion murum vastare:
Vastatum (ut quisquiliæ
Verruntur) dissipare;
Et hinc *suum funiculum,*
Tetendit, in sentinam
Quasi ad perpendiculum
In ultimam ruinam.

41.
Radicitùs evertere
Stat fixum, firmum, ratum,
Non dexteram avertere,
Donec sit consummatum.
Latâ semel sententiâ
Quòd statuit perire,
Quam nulla pœnitentia
Sit potens impedire.

42.
Decreto suo institit
Prece nulla mutando,
Nec ab incepto destitit
In finem terminando,
Nec manus stitit operam
A demolitione;
Nec semel jactam tesseram
Ab hac *perditione.*

43.
Tremendum hoc exitium
Casúmque funeralem,
Et Solymæ excidium
Pyrámque sepulcralem
Lugent antemuralia
Excisa mæniorum,
Et irreparabilia
Tecta palatiorum.

44.
Augusta gemunt opera
Flammis incinerata,
Congesta plangunt rudera,
Et marmora prostrata,
Manes confusis vocibus
Fractos edunt clamores,
Et cladibus atrocibus
Accumulant dolores.

45.
Teth. *vers.* 9.
Murorum cadaveribus
Non pepercêre hostes,
Magnificos ruderibus
Sepelivêre postes.
Artis miræ frontalia
Portarum corruêre,
Et sumptibus regalia
Collapsa periêre.

46
Vectes illius ferrei
In scobem sunt contriti,
Et Cardines chalybei
In cinerem molliti,
Ære rigentes obices
Convulsi & confracti,
Et propylæi fornices
In pulverem redacti.

47. Val-

47.
Valvæ, feræ, repagula
Rupta hypothyrorum. (a
Et ænea obstacula
Claustra hyperthyrorum. (b
Porticuum vestibula
Et adytus sacrorum,
Immania sunt pabula
Facta incendiorum.

48.
Cum his *Regem & Principes*
Ejus trucidavêre.
Et veluti arietes
Cæsos immolavêre:
Lex ipsa sancta periit
Librique mandatorum.
Et Magistratus corruit
Defensor præceptorum.

49.
Cum legibus *Oracula*
Mutescunt *Prophetarum*.
Et veterum miracula
Exspirant gratiarum:
Non sunt *Vates* cælestium
Verborum *Audientes*,
Nec Dei mirabilium
Sunt ampliùs *Videntes*.

50.
Jod. *vers.* 10.
Senes, quos *Sion Filia*
Suspexit ùt parentes,
Quorum cana consilia
Et linguas sapientes,
Suscepit ut oracula
Cælo loquente data,
Mœroris sunt spectacula
Et Fana profanata.

51.
Senes, nuper in pulpitis
Et exedris docentes,
In compitis, & adytis
Sacrorum eloquentes
Hac tristi rerum facie
Attoniti *sederunt*
In terra, fracti macie
Muti *conticuerunt*.

52.
Caput conspersi cinere
Gementes ploravêre,
Accincti corpus vellere
Cilicino, luxêre,
Pulsantes pugnis pectora
Impactis, gemuêre,
Induti sacco, corpora
In humum abjecêre.

53.
Et Virgines Jerusalem
Superbo comptæ cultu,
Præseferentes nobilem
Formoso frontem vultu,
Bysso, coccóque splendidæ
Auróque cincinnatæ,

(a Vitruv. Limen. (b Vitruv. superliminare.

Squalore lugent luridæ
In terram inclinata.

54.
Caph. *verſ.* 11.

Quid ultra querar miſera?
Quid gemam derelicta?
Sunt conturbata viſcera
Ab hoſtibus afflicta,
Vi lacrimarum oculi
Mei jam defecerunt,
Et inſtar ſicci ſcopuli
Fracti exaruerunt.

55.

Cor flaccidum contabuit
Vigore deſtitutum,
Anguſtiatum tremuit
Pavore involutum.
Effuſus eſt fons ſanguinis
Jecur terræ alliſum,
Et diſſolutum fluminis
Inſtar fluxit diviſum.

56.

Formidinis anguſtiæ
Eliciunt ſudorem,
Tyrannidis ſævitiæ
Exterminant cruorem,
Quocumque verto lumina
Gregem cerno malorum;
Et integra examina
Pavorum & dolorum.

57.

Hinc Filiarum Populi
Super contritione,
Horrendi mens ſpectaculi
Concutitur agone,
Triſtem videns tragœdiam
In oppidi plateis,
Et *Parvulis* inediam
Imponi Solymæis.

58.

Natos panis occumbere
Inopiâ famentes,
Exanimésque cadere
Ad ubera lactentes.
In mille partes ilia
Pectúsque non rumpatur?
Materna cùm auxilia
His ferre denegatur!

59.
Lamed. *verſ.* 12.

Ut agni matrum ubera
Balantes concupiſcunt,
Per prata & per nemora
Vagantes ingemiſcunt;
Sic pane ſueti vivere,
Vino, Nati, potari,
Dixerunt: Mater! bibere
Da, pane ſatiari.

60.

Ubi, ubi eſt tritici
Et pollinis medulla?

Ubi

Ubi meri Engaddici
Obba, diota, trulla?
Quis det de Uva Cypria
Languentibus liquorem?
Aut vinea de patria
Pampineum humorem?

61.

Fame, velut carnifice
Infandùm perierunt,
Aut hostium acinace
Occisi ceciderunt,
Cùm debiles corruerent
Ceu ferro *vulnerati*,
Et *in plateis* caderent
Urbis, fame necati.

62.

Cùm exhalarent animas
In finibus parentum,
Ad redimendas victimas
Mortis, nec sat argentum,
Nec auri vis sufficerent,
Nec copia frumenti,
Sed aridi deficerent
Defectu alimenti.

63.

Mem. *vers.* 13.

In hac vitæ tristitia
Ah! *cui te comparabo?*
In hac mortis angustia
Cui te assimilabo?

O *Filia Jerusalem*
Dic, Cui te exæquabo?
Tui, mœrore, similem
Ubi investigabo?

64.

Tua clades est grandior (c)
Clade Ægyptiorum,
Tua strages crudelior (d)
Strage Chananæorum,
Tuus luctus immanior (e)
Luctu Philistinorum,
Tuus dolor funestior (f)
Dolore Hebræorum.

65.

Parem calamitatibus
Catastrophem malorum,
Mundus sub nullis Regibus
Conspexit Judæorum,
Nullus unquam ferociit
Crudeliùs tyrannus
In Te, Tuósque sæviit
Ut barbara hæc manus.

66.

Sed quæ feram solatia
O Virgo Sionæa?
In hac Tibi angustia
Sub framea Chaldæa?
Ah non est Sion Filia,
Non est tibi secunda

 Quæ

(c Sub Moyse Exod. 14. (d Sub Josue cap. 7. (e Sub Davide (f Sub Heli.

Quæ ferat, quæ *tu, talia
*passa
Pari natans in unda ?

67.

Profundo maris gurgiti
Immaniter extenso,
Magno aquarum Hospiti
Et Barathro immenso,
Si qualescumque fluminum
Torrentes comparentur,
Stillantes scaturiginum
Guttæ mari addentur.

68.

Omnis aquarum copia
Oceano glutitur,
Et adhuc, ceû inopiâ
Laboret, plùs hauritur,
Sic tua, si cum cæteris
Mala, malis æquentur
Est, velut fundo æquoris
Si rivi copulentur.

69.

Ut nullis Pontus terminis
Se patitur teneri,
Nec ullis terræ machinis
Aggestis coërceri,
Quin cataractæ fluctibus
Et aggeres rumpantur,
Motísque tempestatibus
Moles ruptæ sternantur.

70.

Sic nulla consolatio
Tuos æstus doloris,
Nec ulla delectatio
Angustias mœroris,
Nec fletûs vehementiam
Consultæ rationes,
Nec luctûs impotentiam
Sistent dissuasiones.

71.

Quot æquor tumet fluctibus
Procellis quot crispatur,
In Saxa quot insultibus
Impactum dissipatur,
Quot horridum turbinibus
Guttas ejaculatur,
Tot tua mens gemitibus
Curísque laceratur.

72.

Amarum mare gustui
Adversum naviganti,
Humano grave potui
Oríque nauseanti,
Sic tua est contritio
Acerbo plena sale,
Et animi afflictio
Amara plena felle.

73.

Prægnans mare periculis
Latentium saxorum,
Fractis infame tabulis
Nautarum naufragorum;
Et tu Charybdi mergeris,
Abysso absorberis,

Tuæ

Tuæ Scyllæ allideris,
Naufragióque peris.

74.
Sali viciſſitudines,
Auræ varietates,
Quot tempeſtatum turbines
Et mutabilitates:
Tot & ſolicitudines,
Tot tui ſunt angores,
Tot ſunt amaritudines,
Tot cordis amarores.

75.
Nun. *verſ.* 14.

Sed mala ſuper omnia
Omnes calamitates,
Deluſa es per ſomnia
Et fictas veritates
Tuorum, qui jactaverant
Prophetas ſe Videntes,
Et ſtultis te deluſerant
Fabellis, mentientes.

76.
Decepta blandiloquiis
Es Pſeudo-Prophetarum,
Et floridis mendaciis
Fictarum Fortunarum:
Qui, cùm deberent aſpera
Et horrida minari,
Hi præſumpſerunt proſpera
Tibi vaticinari.

77.
Te aſſentationibus
Seductam deluſêre,
Et adulationibus
Dolosè fefellêre;
Infames turpitudines
Et ſcelera celabant,
Et morum ægritudines
Molli manu palpabant.

78.
Ut te *ad pœnitentiam*
Sanabilem *vocarent*,
Par erat: & licentiam
Noxarum caſtigarent,
Suaderent pro flagitiis
Tam grandibus lugere,
In ſaccis, & ciliciis,
Et cinere dolere.

79.
Notho *viderunt* omine
Tuas aſſumptiones,
Et cecinerunt carmine
Falſo *ejectiones*,
Et Numinis judicium
Irati, in te latum,
Mentiti ſunt in hoſtium
Excidium paratum.

80.
Cælo ſtrictos acinaces
Et Virgas, & Cometas,
Ferali flammâ vindices,
Faces Judæis lætas,

Chaldæis formidabiles
Aſtris deſcriptas minas,
Cantabant, & terribiles
Illorum in ruinas.

81.

Fucata vatum ſanctitas
Hypocriſis velata,
Et Solymæ perverſitas
In malis obſtinata,
Tandem ſerò cæleſtium
Iras in ſe vibrari,
Signíſque tot excidium
Senſit ſuum patrari.

82.

Jam ſera pœnitudine
Tuam deploras ſortem,
Verſóque rerum ordine
Præſentem luges mortem,
Exſpoliatam omnibus
In prædam te ceſſiſſe,
In ſervitutem hoſtibus
Captivam abiiſſe.

83

Samech. *verſ.* 15.

Relictam te ab omnibus
Solam deſeruerunt,
Quin tranſeuntes manibus
Infamiter plauſerunt.
Te ſuper, viâ publicâ
Contemptim irridentes,
Sannis, joca ſarcaſtica
Et ſibilos addentes.

84.

Ubi illa mirabilis
Et Regia majeſtas;
Ubi eſt formidabilis
Dominij poteſtas?
Ubi magnificentia
Auguſtæ dignitatis?
Ubi eſt reverentia
Tantæ authoritatis?

85.

Honor it in ludibrium.
Majeſtas in contemptum,
Laus tua in opprobrium,
Poteſtas in figmentum,
Tibi pinſunt ciconiam
Adverſo ſtultam vultu,
Addúntque ignominiam
Ridiculo ſingultu.

86.

Uncis indulgent naribus
Popiſmis inſultantes,
Convitiis & luſibus
Afflictam objurgantes.
Moventes ſuper Filiam
Jeruſalem cervicem,
Excutientes tibiam
Plantámque contemptricem.

87.
Ad fictam condolentiam
Composito horrore,
Ingloriam Potentiam
Mirantur cum ſtupore,
Dicentes : Haecne Civitas
Eſt illa Solymaea?
Hæc illa eſt felicitas
Et dignitas Hebræa?

88.
Haec illa Princeps Gentium
Perfecti Urbs decoris?
Orbis illa delitium
Et circus * eſt Honoris ?
* curia
Hæc Univerſæ gaudium
Terræque eſt voluptas?
Hoc Numinis Palladium
Hæc Templi eſt venuſtas?

89.
Phe. verſ 16.
Sic illudebant ludicra
Commiſeratione,
Et refricabant tetrica
Commemoratione,
Felicitatis *aureum*
Vitæ prioris ſtatum,
Improperantes *ferreum*
Captivæ famulatum.

90
O Solyma! non Solyma!
Ab Orbe toto culta!
Nunc Urbium miſerrima
Deluderis ut ſtulta!
Tuis jocus es hoſtibus,
Qui beſtiarum more,
Exertis in te dentibus
Pandóque furunt ore.

91.
Paſſis in te hiatibus
Ceû in te ruituri,
Et explicatis rictibus
Morſam devoraturi;
Non impares Leonibus
Lupis, Urſis, pantheris,
Famelicíſque canibus
Fremunt, furúntque, feris.

92.
Inſtar draconum fiſtulant
Venenum exhalantes,
Serpentum more *ſibilant*
Mortem linguis minantes;
Dicentes: *devoravimus*
Parte defenſos nulla,
Eóſque degulavimus
Cum oſſium medulla.

93.
Tandem dies vindicibus
Fauſtiſſimus illuxit,
Qui armis nos victricibus
In Urbem hanc induxit,
Quo belli indulgentiâ
Conceditur victori,

Hostili pro licentia
Litare, jus Furori.

94.

Quem pridem *exspectavimus*
invenimus, videmus,
Crebris votis optavimus
Optatum obtinemus:
Omni pulsa formidine
Fas insultare victis,
Et mentis pro libidine
Incumbere vindictis.

95.

Tot Regum patrimonia,
Opes, thesauri, census,
Sunt militum stipendia
Et nervus, his impensus,
Tributa, vectigalia,
Dotes Provinciarum
Prædantium sunt spolia,
Et gaza rapinarum.

96.

Ain. *vers.* 17.

Hæc pridem in Consiliis
Cælestibus secreta,
Deique in judiciis
Sancita, & decreta,
Et quæ à longis sæculis
In hoc tempus prævisa,
Sunt tandem pro piaculis
Nocentium decisa.

97.

Hæc quæ minatus fuerat
Loquendo per Prophetas,
Et firmiter statuerat,
Has fixit minis metas,
Et quas pœnas in vitia
Sanciverat venturas,
Hæc intulit supplicia
In Urbes perituras.

98.

Quæ cogitavit Dominus
Hæc fecit & complevit;
Sermonis ejus terminus
Hic tandem conquievit,
Et quæ olim præceperat
Antiquus à diebus,
Hæc serò expediverat
Succisis *spebus, rebus.*

99.

Paternæ spes Clementiæ
In pœnam commutata:
Res veniæ, spes gratiæ
Oblivioni data:
Quos obstinavit perdere,
Prædonibus objecit,
Quibúsque non ignoscere
Per hostes interfecit.

100.

Omne vivens, aut perdidit
Et gladio peremit,

Aut

Aut mancipatum vendidit
Et mango vinctum emit:
Castella cæmentaria
Vis bellica prostravit.
Aulæa, & sacraria
Vis flammæ cineravit.

101.

Ubi urbes & oppida
Pagi, vici, steterunt,
Palatiáque splendida
Hortíque floruerunt,
Nunc horrida sunt rudera.
Sepulcra Civitatum,
Et ædium cadavera
Acervi vastitatum.

102.

Artificum miracula
Eversa corruerunt,
Flammarum facta pabula
In fumos abierunt.
Nunc meræ solitudines
Judæa devastata,
Mortísque sunt imagines
Deserta desolata.

103.

Regalia solaria
Sunt densa senticeta,
Lapparum seminaria,
Et aspera vepreta,
Horti & viridaria
Amara saliceta,
Honoris cæmeteria
Funeribus repleta.

104.

Non est amicus condolens
Tuam deplorans sortem,
Quin hostis tuam insolens
Lætatur super mortem,
Nam *Deus cornu hostium*
Tuorum exaltavit,
Grandémque fastum fascium
Tuorum subjugavit.

105.

Sade. *vers.* 18.

Tot malis & miseriis
Plagísque tot oppressi,
Seris licèt suspiriis
In se rei regressi,
Super Sionis mænia
Clamavit cor eorum
Ad Dominum, & nænia
Audita miserorum.

106.

Tunc Filia Jerusalem
Agnoscere reatus,
Lessúmque lamentabilem,
Et graves ejulatus,
Super murorum rudera
Immaniter ciere,
Sparsáque super marmora
Urbis vastatæ flere.

107.

Deduc. O Sion Filia,
Torrentem lacrimarum,
Et contremiſcant ilia
Ad plagas ruinarum,
Fac tua fiant lumina,
Ut Salſas fundant undas,
Duo doloris flumina,
Quæ jugiter profundas.

108.

Diebus da & noctibus,
Da ſingulis momentis
Soluta fræna luctibus
Et improbis lamentis!
Quantumcumque profuderis
In ſinum lacrimarum,
Nunquam tamen ſat dederis
Aquarum debitarum.

109.

Nulla tibi ſit requies,
Nec remora dolorum,
Nunquam ſiccetur acies
Tuorum oculorum,
Pupilla tuis fletibus
Ærumnas eloquatur,
Hac, & his interpretibus,
Cordis vulnus noſcatur.

110.

Coph. *verſ.* 19.

Conſurge, quæ in pulvere
Jacebas Sordidata,
Cilicio & cinere
Tuo mortificata,
Conſurge, *Lauda Dominum*
Fuſa precatione,
Culpam fatere criminum
Cordis contritione.

111.

In nocte, *in principio*
Lauda vigiliarum
Numen, in æquilibrio
Horarum diurnarum,
Tu vigilans, ſtertentibus,
Ora, ſomno ſepultis,
Fuſis incumbe precibus
Pro muris demolitis.

112.

Ante conſpectum Numinis
Liquare in humorem,
Effunde inſtar fluminis
Soluti cordis rorem,
Denſa nubes in pluviam
Tuorum oculorum,
Pectus pande in ſpongiam
Liquorum profuſorum.

113.

Manus tuas pro anima
Tuorum Parvulorum
Attolle, quos pro victima
In fronte compitorum,
Fames crudelis jugulat
Inediâ cadentes.

Et

Et Libithinæ immolat
Vix natos, morientes.

114.

Res. verſ. 20.

Vide Deus Clementiæ
Gentem tuam afflictam,
Conſidera Juſtitiæ
Tuæ in nos vindictam.
Fac Domine conſidera
Plagas, quas intuliſti,
Et noſtra ſpecta vulnera,
Quæ reis inflixiſti.

115.

Quem tu vindemiaveris
Vide humiliatum,
Sub torculari preſſeris
Ut Uvam conculcatum,
Tantæ vix reſtant acini
Vindemiæ rejecti,
Aut ipsa, pauci pampini
De vinea collecti.

116.

Sic Solymæa vinea
Chaldæo vaſtatore
Et gloria pampinea
Hoc vindemiatore
Reducta eſt ad incitas
Tantæ Fortuna gentis,
Et populi felicitas
In tumulum ruentis.

117.

O inaudita feritas!
Nec beſtiis agenda!
O barbara crudelitas!
O rabies horrenda!
Quæ unquam Gens, & Natio
Fuit, aut poteſt eſſe,
Quæ grandi auſit vitio
Suas proles comêſſe?

118.

Ergóne omni tigride
Et lupis ſæviores
Sæva cordis tyrannide
Flagitioſiores,
Ut ſua ventris pignora
Hebrææ matres erunt
Recondant inter viſcera
Quæ vixdum pepererunt?

119.

Ergon' naturam exuent
Humanam genitrices?
Et beſtiarum induent
Suarum peremptrices
Immani cæde prolium,
Quas flammis elixabunt,
In menſura palmarium
Et coctos manducabunt?

120.

Ergon' in ſanctuario
Sacerdos occidetur?

In nu-

In Numinis Sacrario
Propheta perimetur?
Nulláne reverentia
Loci, nec Dignitatis?
Videntis nec præsentia
Terret Divinitatis?

12?.
Sin. *verſ.* 21.

Nulli pepercit gladius,
Nec lancea hoſtilis,
Summus, Imus, & Medius,
Dives, egenus, vilis,
Marita, Virgo, Vidua,
Senex, infans, puella,
Eodem ferro cædua
Ætas cadit tenella.

122.

In terra Silicernium
Et puer jacuerunt,
Pro tecto ſterquilinium
Cænum, foris fuerunt,
Hi ſunt amplexi ſtercora
In croceis nutriti,
Corpus byſſo, & purpura
Involvere aſſueti.

1?3.

Intaminatæ *Virgines*
Sub enſe *ceciderunt!*
Eodem enſis *juvenes*
Mucrone *perierunt*.
Vernas vitæ delitias
Hyems belli extinxit,
Ætatis & primitias
Mortis gelu decoxit.

124.

In die iracundiæ
Tuæ interfeciſti,
Furore inclementiæ
Oppreſſos *percuſſiſti*,
Nullá miſericordiá
In veniam movendus,
Nec noxæ indulgentiâ
In gratiam flectendus.

125.
Thau. *verſ.* 22.

Cæleſti in prætorio
Thronóque majeſtatis
Tui nutûs imperio
Juſſúque voluntatis
Ceû datâ hoſti teſſerâ
Ad diem ſanctitatis,
Vocâſti, & ad proſpera
Feſta ſolemnitatis,

126.

Quaſi tubis & tympanis
Ad dies geniales
Et lituis & organis
Ad jubilos feſtales
Vicinos de circuitu
Feciſti advolare,
Et repentino ambitu
Captum circum vallare.

127. Di-

127.
Dies illa terribilis
Timoris & horroris,
Dies illacrimabilis
Vindictæ & furoris,
Dies incomparabilis
Qualem Mundus non vidit,
Dies, heu! lamentabilis
QuiRegnum tantum scidit.

128.
Dies solâ memoriâ
Attonitis tremendus,
Pressurâ & miseriâ
Hostili formidandus,
Nullis satis scriptoribus,
Ut par est, exprimendus,
Nullis sat oratoribus
Ad pathos, describendus.

129.
Dies furoris Domini
In cladem destinatus,
Effugiendus nemini
Excidio paratus,
Hic, qui complevit calculos
Ad criminum mensuram,
Supremos addet scrupulos
Ad judicis censuram.

130.
Hic, tulit cladem Solymæ
Nuper tam fortunatæ,
Nunc Urbium miserrimæ
Afflictæ, captivatæ,
Exspoliatæ omnibus
Quæ quondam congregavit,
Felix sub suis Regibus
Quos Patres adoravit.

131.
Ast nunc infelicissima,
Si unquam ULLA fuit,
De dignitate maxima
In imum probri ruit,
Contemptim plantis hostium
Impactis conculcata,
Urbs sancta quondam, Gentium
Idolis profanata.

132.
Secuta clades: jugula
Hebræa quam sensêre,
Clades, quam nulla sæcula,
Nec Fasti meminêre,
Clades, historiographus
Quam nullus exaravit,
Clades, quam Opistographus
Scriptam non annotavit.

133.
Chaldæis à militibus
Hostili ferro cincta,
Muris, vallis, & turribus
Aggeribúsque vincta,

Ut nul-

Ut nullus exeuntibus
Egressus panderetur,
Nullus introeüntibus
Locus aperiretur.

134.

Ut feræ captæ cassibus
Indagine silvarum,
Aut pisces clausi retibus
Gurgitibus aquarum,
Aut volucres bitumine
Visci tenacitate,
Sic Urbs, belli munimine
Armorum densitate.

135.

Vi ferri, factus aditus
Portæque referatæ,
Mox irruit Exercitus:
Urbique captivatæ,
Dat *ferro leges, sangvine*
Paragraphi scribuntur:
Et Capita, acumine
Acinacis leguntur.

136.

Die solemni victimæ,
Deo sacrificantur;
Pro hostiis nunc animæ
Meorum immolantur,
Vicem boum & ovium
In busta litatorum
Sunt cæsa membra Civium
Furori oblatorum.

137.

Non est ordo in cædibus,
Nec modus, nec discrimen,
Grande victis supplicibus
Est pepercisse, crimen,
Discrimen hoc est unicum
Nulli discrimen esse,
Præceptum Hoc Chaldaicum
Non ullum superesse.

138.

Lustrator ignis expiat
Culpatæ noxas gentis,
Justitiæque nunciat
Mensuram metientis,
Divitiæ, superbiæ
Fomenta, subducuntur,
Luxus, lucra Luxuriæ
Rapinis corriguntur.

139.

Ferrum: quos educaveram
Consumpsit educatos:
Idem: quos enutriveram
Extinxit enutritos;
Hoc fuit Decretorium
Meæ ruinæ Fatum,
Quòd Dei Consistorium
Sic fecit consummatum.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, Olympiod: Paschas: Bonavent; putant Ieremiam ad litteram hoc capite loqui de Christo, & Christi Passione: Verùm Ieremias luget hisce Threnis ad litteram sui temporis calamitatem; ergo tantùm allegoricè luget Christi afflictiones & cruces. Secundò Theodor; Raban:, Hugo, S. Thomas, Lyran; Vatabl; putant hoc caput esse vocem populi, sive cujuslibet Iudæi, vel Hierosolymis vel in Babylone lugentis communem cladem. Tertiò & planissimè, ut verba sonant, Origen: Euseb: Rupert: & Vatabl; censent Ieremiam hìc lugere suas calamitates, præsertim eas, quibus tempore obsidionis, à suis civibus afflictus fuit, Ieremiæ 20. & sequent. Hoc enim est, quod initio capitis ait: Ego vir videns paupertatem meam, & v. 13. Factus, ait, sum in derisum omni populo meo; unde & carcerem vinculáque sua plangit, v. 5. 6. 7. 9. ac inediam & famem. v. 15. 16. 17. ac verbera & alapas. v. 3. 12. 13. Simul tamen in seipso repræsentat & luget afflictionem populi sui. Deinde v. 21. spem in Deum erigit, ostendendo utilitatem tribulationis. Quartò, v. 40. suos cives hortatur, ut convertantur ad Deum. Tandem v. 54. suas ærumnas & suorum civium plangendo, mala similia suis inimicis imprecatur. Sic Cornelius à Lapide in Ieremiam.

1. Aleph.

1.
Aleph. *verf.* 1.

QUæ fecretorum confcii
Prophetæ divinorum
Judiciorum nuncii
Et têftes Decretorum
Vaticinati, impetu
Divino entheati
Carnis exuti fpiritu,
Jam Divis fociati:

2.
Quæ facro plenus Numine
Futura Ifaias,
Dióque ardens flamine
Prædixit Sophonias:
Hæc ego vaticinia
Cerno verificata,
Ego Videns præfentia
Prophetis demonftrata.

3.
Ego Vates communibus
Cum Civium cohorte
Vir involutus cladibus
Pari caftigor Sorte,
Ego Vir videns, fentio
Meam calamitatem,
Irámque virgæ vitio
Condignam *paupertatem*.

4.
Sacro afflatus halitu
Ezechiel canebat,
De Solymæ interitu
Edoctus Hæc monebat,
Hic abfens mali, clauditur
Vinctus in Babylone,
Aft in me tota volvitur
Clades vaftatione.

5.
Aleph. *verf.* 2.

Experior, heu! nimiùm!
Pars maxima malorum!
Nunc Urbis exterminium
Et Civium meorum,
Minavit me in carcerem,
In tenebras adduxit,
Cui nec per ruptum afferem
Lux oculis illuxit.

6.
Aleph. *verf.* 3.

Non interruptim vapulo,
Palmas impactas fero,
Tetro claufus ergaftulo
Catenas vinctus gero,
Tantùm die continuo
In me flagellum *vertit*,
Et verbere affiduo
Manum fuam convertit.

7.
Beth. *verf.* 4.

Ærumnæ, robur corporis
Carnémque confumpsêre,

Fames,

Fames, plagæque, funeris
Inſtar, me confecêre,
Vetuſta pellis aruit
Ut uter in pruina.
Color, calor, evanuit
Et oſſium ſagina.

8.

Beth. *verſ.* 5.

In gyro meo aggerem
Circum ædificavit,
Et in profundum carcerem
Merſum præcipitavit,
Cinxit amaritudine,
Circumdedit *labore*,
Occluſit laſſitudine,
Et felleo dolore.

9.

Beth. *verſ.* 6.

Profunda in voragine
Captivum collocavit,
In horrida caligine
Me tenebrarum ſtravit,
Sepultus ante funera
Quaſi æternitatis
Acturus antro tempora
Duris plectendus fatis.

10.

Ghimel. *verſ.* 7.

Captivo ne occaſio
Liberior faveret,
Fugámque habitatio
Solutior ſuaderet,
Sepivit omnem tramitem,
Murúmque excitavit,
Meúmque nervo *compedem*
Majore *aggravavit*.

11.

Ghimel *verſ.* 8.

Nec aures meis precibus,
Nec aditus favebant,
Meis rimæ clamoribus
Nec minimæ patebant,
Orationem ſupplicis
Pro Populo *excluſit*,
Sed juſti pœnam Judicis
Deus queſto obtruſit.

12.

Ghimel. *verſ.* 9.

Omnes vias, & aditus
Obſtruxit, & ingreſſus;
Omnis ad me prohibitus
Forinſecùs acceſſus.
Sectis arte lapidibus
In quadrum fabricatis
Incluſit me, liminibus
Portíſque obſeratis.

13.

Daleth. *verſ.* 10.

Silveſtribus *inſidians*
Ut prædis *Urſus* furit,

Non se cruore satians
Magìs in cædes prurit.
Ut leo in absconditis
Erumpit in arenam,
Sic famâ, rebus perditis,
Poscor in lanienam.

14.

Daleth. *vers.* 11.

Subvertit meas semitas,
Quas fugæ apparabam,
Et intercluset orbitas
Quas clanculùm quærebam,
Me quasi in mortario
Confregit & contrivit,
Et veluti cellario
Clausum, antro sepivit.

15.

Daleth. *vers.* 12.

In me, ut teli terminum
Arcum suum tetendit;
Nervúmque arcûs vinculum
Dextrâ tractum extendit,
Et me in signum jaculi
Metámque designavit,
Suíque cannam spiculi
Excussam evibravit.

16.

He. *vers.* 13.

Misit pharetræ filias
Patris arcûs, sagittas,
Non in caput, nec tibias
Nullo ferro munitas,
Sed *in renes*, *arundinis*
Gravissimo inflictu,
Ad ima, velut fulminis
Se penetravit ictu.

17.

He. *vers.* 14.

In risum omni populo
Sum factus insultanti,
Plebíque meæ scandalo
Probróque petulanti,
Toti sonabant cantibus
Carminibúsque *dies*,
Nec â convitiantibus
Afflicto data quies.

18.

He. *vers.* 15.

Spretum illusionibus
Affectum maledictis,
Me amaritudinibus
Replevit felle tinctis,
Cibavit colocynthide,
Absynthio potavit,
Et myrrhina promulside
Potum *inebriavit*.

19.

Vau. *vers.* 16.

Per ordinem molentium
Et numerum meorum

Ruina

Ruina facta *dentium*
  Edendo excussorum,
Nam panibus immiscuit
  Arenulas pistrinum,
Hinc Oris mei corruit
  Confractum molendinum.

20.

In fame quid crudelius?
  Magísque alienum?
Naturæ violentius
  Sævitiáque plenum?
Nullum quod animantium
  In escam usurpavit,
In cœnam & in prandium
  Me cinere cibavit.

21.

Vau. *verſ.* 17.

Spes nulla, nullum gaudium,
  Et animæ pax nulla,
Omne vitæ delitium
  Evanuit ut bulla,
Præteritorum omnium
  Oblitus ſum bonorum,
Memoriam, ut somnium
  Excussit vis malorum.

22.

Vau. *verſ.* 18

His malis me prementibus
  In caput hoc procusis,
Et veluti torrentibus
  In unum me profusis,
Dixi: ſpes mea periit
  Vitæ mox ruituræ,
Finis meus interiit
  Mortis brevi futuræ.

23.

Zain. *verſ.* 19.

Quocumque in angustiis
  Me verto, & reverto,
Nulla spes est supplicιis
  Ab omnibus deserto:
Tu solus es, qui suscipis
  Ad Te confugientes,
Nullósque, Deus, despicis
  Et supplices & flentes.

24.

Memento quæso *Pauperis*,
  Afflicti, desolati,
Et recordare sceleris
  A meis perpetrati,
Fidem, & jus frangentibus
  Infidis Solymitis,
Immanè sævientibus
  In me Anathothitis.

25.

Sed & amaritudinis,
  Abſynthii, & fellis

 Mo-

Memento, & formidinis
Quam tuli fractus bellis,
Una hausi amysthide
Fæces miseriarum,
Propinante Tyrannide
Diotam lacrimarum.

26.

Zain. *vers.* 20.

Meam, meísque populi
Dum penso vastitatem,
Et hactenus, quam pertuli
Vitæ calamitatem,
Instar ceræ, sub Syrio
Mea mens colliquescit,
Jugíque sub suspirio
Et fletibus tabescit.

27.

Zain. *vers.* 21.

Inter tot fustuaria
Cùm memini plagarum,
Et recolens memoriâ
Elenchos ærumnarum,
Resumo spem clementiæ,
Fidémque gratiarum,
Fructúmque pœnitentiæ
Justitium pœnarum.

28.

Heth. *vers.* 22.

Quòd non in terræ pulverem,
De quo sumus compacti,
Orginísque cinerem,
Nostræ simus, redacti,
Hoc Tua miseratio,
Hoc favor Bonitatis,
Hoc meritæ placatio
Fecit severitatis.

29.

Magna namque Clementia
Iræ Tuæ medetur,
Nec sinit, ut justitiæ
Ferro prædominetur,
Tua Misericordia
Reo non *defecerunt*,
Nec veniæ, nec gratiæ
Precanti defuerunt.

30.

Heth. *vers.* 23.

Vita novi diluculo
Primo mane ætatis,
Tuo doctus oraculo
Sidus Benignitatis,
Novi hoc Tuo lumine
Jam puer illustratus,
Me tuo cùm es Numine
Eligere dignatus.

31.

Quin *novis quoque solibus*
Cælo diluculante
Novis me beas dotibus
Donísque, nil sperante,

Exor-

Exornas beneficiis
Novis semper oblatis;
Et prævenis me gratiis
Gratis ingrato datis.

32.

Novi semper & splendidi
Dies exoriuntur,
Sereni, læti, roscidi,
Bonis fatis volvuntur,
Vix sol dignatur lumine
Planiciem terrarum,
Jam largo roris semine
Das manna gratiarum.

33.

In Te tuti confidimus,
Tua non fallit fides,
Tu solus fidelissimus,
Qui miserando vides
Tuorum pœnitentiam,
Vitæ necessitates,
Amásque patientiam
Inter adversitates.

34.

Heth. *vers.* 24.

Honores & divitias,
Qui volent, consectentur,
Fluxas mundi delitias
Et gaudia venentur.
Omni solicitudine
Rejecta, SOLUS DEUS
In mentis ægritudine
Est consolator meus.

35.

Hic mea est tranquillitas
In persecutione.
Hic mea est hæreditas
In devastatione,
Hic mea est jucunditas
In tribulatione.
Hic solus mea suavitas
In desolatione:

36.

Pars mea solus Dominus,
Et meum omne bonum,
Afflictionum terminus,
Solatiorum donum,
Merces in patientia,
Et præmium doloris,
Judex in Innocentia,
Testis mei mœroris. * laboris:

37.

Teth. *vers.* 25.

Tu summa, Deus Bonitas
In Tuos liberalis,
Tu animæ Tranquillitas,
Quies in cunctis malis,
Tu Dos in Te sperantibus,
Salutis certitudo,
Tu meta Te quærentibus,
Vitæ Beatitudo.

38.

Teth. *verſ.* 26.

Bonum eſt cum ſilentio
Salutem præſtolari,
Nullóque maleficio
In queſtus excitari.
Sed in mentis malacia
Modeſtum exſpectare,
Donec cæleſtis gratia
Suum det *Salutare*.

39.

Teth. *verſ.* 27.

Bonum adoleſcentiæ
Dei jugum tuliſſe,
Aſſuetum non nequitiæ
In crimen deflexiſſe,
Magnis calamitatibus
Cervicem ſubjeciſſe,
Et in adverſitatibus,
Impavidum ſtetiſſe.

40.

Iod. *verſ.* 28.

Sedebit ſolitarius,
Vir, mœſtus *&* *tacebit*,
Noxas, quas temerarius
Commiſit, flens dolebit,
Agnoſcet, quanti fuerit
In Dominum peccâſſe,
Et quàm ſerò puduerit
A Deo deviâſſe.

41.

Sedebit Pœnitentiâ
Afflictus & contritus,
Tacebit affluentiâ
Malorum appetitus,
Nam prona plauſtro tergora
Iugóque colla ſtravit,
Et clitellarum onera
Super ſeſe levavit.

42.

Iod. *verſ.* 29.

In terræ *ponet pulvere*
Os ſuum humi ſtratus,
Præſumet nec erigere
Vultum humiliatus,
Agnoſcens ſui cineris
Ortúſque vilitatem,
Ut vel ſic ſui ſceleris
Legat impuritatem.

43.

Iod. *verſ.* 30.

Hac ſpe *percutientibus*
Sponte *dabit maxillas*,
Nudabit ſævientibus
In ſe flagris axillas,
Satur convitiantium
Opprobriis affectus,

Ceu

Ceu foret convivantium
Lautitiis repletus.

44.

Caph. *verʃ.* 31.

Gaudebit in verberibus
His Patrem veneratus,
Durabit in doloribus
Excoctus & probatus,
Scit enim Patris ferulam
Ad mortem non ferire,
Non hoſtis eſſe tribulam
Volentem nos perire.

45.

Scit, quòd non plectens ſæviat
Æternùm, ut tyrannus,
Nec dignè noxis puniat
Irati Patris manus,
Caſtigans, cor non exuit,
Paternos nec amores,
Sed feriendo arguit
Noſtros in ſe errores.

46.

Poſt hyemes, poſt nubila
Diráſque tempeſtates,
Dat rurſus mentis jubila
Vultûs ſerenitates,
Poſt luctus, queſtus, tædia,
Poſt imbres lacrimarum,
Dat oſcula, dat gaudia,
Fontes delitiarum.

47.

Caph. *verʃ.* 32.

Licèt frontem induerit
Severam caperatus,
Et crucibus terruerit,
Cædes, mortes, minatus,
Secundùm multitudinem
Miſericordiarum
Abjecit, memor, neminem
Suarum gratiarum.

48.

Caph. *verʃ.* 33.

Cui proprium eſt parcere,
Cui pronum miſereri,
Invito reos plectere
Pœníſque exerceri,
Licèt *humiliaverit*,
Dolens humiliavit,
Natos *repudiaverit*,
Gemens repudiavit.

49.

Non eſt pœna, ut perimat,
Sed conſulat ſaluti,
Ægrotum non exanimat
Vulnus inflictum cuti,
Mitis & mollis medicus
Mortem accelerabit,
Galenicus aut Chymicus
Per vulnera ſanabit.

50.

Lamed. *verʃ.* 34.

Non conteret ſub pedibus
Et vinctos, & ſubjectos:

Laurus pressa ponderibus
Ramos levat erectos,
Ut roborentur fortiùs:
Sic Uva torculari,
Liquorem fundit dulciùs
Cùm finit se calcari.

51.

Lamed. *vers.* 35.

Nulli negat judicium
Justitiæque lances,
Nec legis patrocinium
Condemnet ut veraces;
Declinat nec sententiam
Justæ causæ faventem,
Nec supplici clementiam
Viro jus approbantem.

52.

Lamed. *vers.* 36.

Pervertat in judicio
Iniquo non auditum?
Ut judicantis vitio
Jus fiat impeditum?
Ruátque legis sanctitas
Et Dominus ignoret?
Officiat iniquitas,
Ut miser pressus ploret?

53.

Hæc *voluntate* Numinis
Ceu facta, *non jubente*,
Sed ut ignari fulminis
Annutu consequente:
Nam Arbiter Altissimus,
Qui cunctos intuetur,
Suos, Judex justissimus
Ne pereant, tuetur.

54.

Mem. vers. 37.

Ferit: quis ausit dicere
Hæc Deo non jubente?
Fortunâ sic accidere
Fatóque sic regente?
Ferit; ferire simulans
Ut consulat nocenti,
Ut figat, ceu dissimulans,
Dolorem pœnitenti.

55.

Mem. *vers.* 38.

Cujus? nisi stultissimi
Sensus, & vox dicentis,
Ex ore quòd Altissimi
Mundi molem regentis,
Adversa nec, nec prospera
Mortalibus consentur.
Sed mala, bona, dextera,
Sinistra, casu dentur?

56.

Mem. *vers* 39.

Quid ructat homo *murmura*
Vivens, accusans Fatum?

Quid

Quid cælos, polos. sidera
In crimen perpetratum?
Quis Numinis clementiam
Ausit convitiari?
Et imparem sententiam
Pro noxis irrogari?

57.

Nun. *vers.* 40.

Ad cotem conscientias
Ad limam affricari,
Exactæ insolentias
Vitæ examinari,
Nostras vias & semitas
Oportet perscrutari,
Et Numinis ad orbitas
Errantes revocari.

58.

Nun. *vers.* 41.

Manus ad Deum supplices
Et corda sublevemus,
Hujus ad aram mancipes
Mentes sacrificemus,
Latebras conscientiæ
Clausas examinemus,
Dignósque pœnitentiæ
Fructus multiplicemus.

59.

Nun. *vers.* 42.

Iniqua perpetravimus
In Tuam majestatem,
Sine fronte *peccavimus*
In Tuam Bonitatem,
Ad iram provocavimus
Culpatis formidandam,
Hinc frustrà imploravimus
Opem, non impetrandam.

60.

Samech. *vers.* 43.

Cùm furor exardesceret
In nos exacerbatus,
In plagas effervesceret
Ferire nos paratus,
Ne deprecantem cerneres,
Vultum operuisti,
Ne supplices admitteres,
Aures obsepivisti.

61.

Fixum fuit occidere,
Et sontes occidisti:
Nulli reorum parcere,
Et nulli pepercisti:
Litare nos justitiæ
Statum, ratúmque fuit;
Nostratis hinc malitiæ
Sub ense causa ruit.

62.

Samech. *vers.* 44.

Te inter & nos, nubium
Velamen obduxisti,

Et veluti tentorium
Te super occlusisti :
Clamantis *ne oratio*
Aures Tuas feriret,
Frustrata sic petitio
Suo fine, periret.

63.

Samech. *vers.* 45.

Ut menda de codicibus
Aut tabulis raduntur,
Aut arbores radicibus
Evulsis evertuntur:
In medio sic populi
Eradicationem
Me posuisti, scandali
Turpem *abjectionem*.

64.

Phe. *vers.* 46.

Me super, ora, grandibus
Hiatibus panderunt,
Et explicatis dentibus
Hostes me deriserunt;
Instar Leonum vulnera
Mortésque sunt minati,
In mea proni funera
Ut lupi acerbati.

65.

Phe. *vers.* 47.

Quid sancta vaticinia
Prophetis profuêre?
Hæc odii seminia
Mortésque genuêre:
Hæc laqueos, hæc compedes,
Hæc cippos peperêre.
Hæc in cervicem chalybes
Metendam acuère.

66.

Phe. *vers.* 48.

Quid nisi scaturigines
Et fontes liquatorum
Per mei vultûs elices
Deducam oculorum?
Contritione Filiæ
Meæ gentis afflictus,
Ejusque contumeliæ
Doloribus attritus.

67.

Ain. *vers.* 49.

Vi se se provolventibus
Nat *oculus* fluentis,
Nec quidquam occultantibus
Dolorem conamentis,
Clausa cordis supplicia
Tacere imperitus,
Cui nec *quies*, nec otia
Nec vitæ appetitus.

68.

Ain. *vers.* 50.

Donec de cali culmine
Nos Dominus nostrarum,

Mi-

Misertus suo lumine
Respiceret plagarum,
Aspectibúsque mitibus
Iram suam leniret,
Paternis & affectibus
Afflictis subveniret.

69.

Ain. *vers.* 51.

Meus hic fecit oculus
Et prædam & rapinam,
Et factus velut scopulus
In animæ ruinam;
Mare fuêre lacrimæ,
Palpebræ litus dabant,
Hi fluctus navim animæ
Continuè jactabant.

70.

His tempestatum fluctibus,
His imbrium procellis,
Et solibus & noctibus
Volvebar; pro Puellis
Et Filiabus Solymæ
Urbis meæ abactis
Ab hostibus, ut victimæ,
In lanienam tractis.

71.

Abducto gemens crucior
Casto in servas choro,
Cum magna passis, patior,
Plorantibus comploro,
O Filiæ Sionidæ
Mei fontes doloris,
Nunc luridæ, nunc squalidæ
Verni Reginæ floris.

72.

Vos me vigore spiritûs
Et vitæ spoliâstis,
Vos animæ radicitus
Vires attenuâstis,
Fecistis me tabescere,
Et pænè interire,
Cordis succum arescere,
Et in vappam abire.

73.

Sade. *vers.* 52.

Ut auceps locat pedicas
Virgas visco perunctas,
Et aves addit musicas
Ad oscinum instructas,
Et volucres insidiis
Lusæ irretiuntur,
Et circumventæ liciis
In caveas clauduntur.

74.

Aut ut feras indagine
Cinctas capit venator,
Sic ferreo munimine
Judæus me Dictator,
Gratis nullius conscium
Aut complicem reatûs,

Vinxit,

Vinxit, culpæ innoxium
In carceris hiatus.

75.

Sade. *verſ.* 53.

In lacum diri carceris,
In barathrum profundi,
Veſtibulúmque funeris
Mihi mox ſubeundi.
Vita plena anguſtiis
Eſt lapſa & ſepulta:
Sic Gens pro vaticiniis
Ingrata ſe eſt ulta.

76.

Nec ſatis erat caveâ
Ut volucrem clauſiſſe,
Et abyſſali fovea
Ut feram conſtrinxiſſe,
Sed laci orificium
Saxo opilavêre,
Et lapidem ad oſtium
Prægrandem advolvêre.

77.

Sade. *verſ.* 54.

In hac caverna terrea
Aquæ guttas ſtillante
Catenâ vinctus ferreâ
*Antro, * limo ſtagnante.
* luto
Caput meum cadentibus
Aquæ inundaverunt
Me deſuper humoribus,
Et pænè demerſerunt.

78.

His preſſus tempeſtatibus
Hem perii! clamabam,
Fractus calamitatibus
De vita deſperabam!
Pigebat enim vivere
Tam miſerè viventem,
Et mortem præeligere
Optabam imminentem.

79.

Coph. *verſ.* 55.

Sed, ceu de profundiſſimo
Somno evigilavi,
Nomen Tuum noviſſimo
De lacu invocavi,
Nomen Tuum quod ſæpiùs
Me juvit appellatum!
Nomen quo nil potentius
Eſt Orbi cælo datum.

80.

Coph. *verſ.* 56.

Audiſti vocem ſupplicis
Audiſti me precantem!
Audiſti fundo carceris
Ab imo invocantem!
Nam Tu, qui *auris totus es*
Te ſupplicantes audis!

Tu

Tu oculus, qui purus es,
Hunc nulli presso claudis.

81.

Audi! ne aurem subtrahe!
Audi singultientem!
Qui Tui vocem Abrahæ
Audisti Te petentem!
Audi pro Tuis legibus
Zelantem & amantem!
Et referatis auribus
Exaudi me clamantem!

82.

Coph. *vers.* 57.

In die qua clamaveram
Ad me *appropinquâsti*,
Quando Te invocaveram
Tutelam demonstrâsti,
Per Tuum qui me Angelum
(Eunuchum) eduxisti,
Per hunc locutus famulum
Ne timeas, dixisti.

83.

Res. *vers.* 58.

Dixisti: & quod dixeras
Afflicto præstitisti,
Hostiles à me dexteras
Paternè avertisti!
Pseudo prophetam cadere
Hananiam fecisti.
Et per Eunuchum carcere
Captivum eduxisti.

84.

Qui me vatem convitiis
Et gentis impostorem,
Falsiloquum mendaciis
Et fraudis inventorem,
Sunt insectati Solymæ,
Redemptor Tu egisti.
Meæ Patronum animæ,
Et causam *judicâsti*.

85.

Res. *vers.* 59.

Quæcumque sunt in homine
Occulta, manifesta!
Tu perscrutaris Domine,
Te nulla latent gesta,
Vidisti quâ calumniâ
Me mei affecerunt?
Vidisti probra omnia
Quæ in me conjecerunt?

86.

Gentis ingratitudinem,
Plebis iniquitatem,
Adversùm me libidinem
Iræque cæcitatem?
Nunc *judica* convitium
Tot Sannis cumulatum,
Et populi *judicium*
Injustè in me latum.

87.

Res. *vers.* 60.

Vidisti quâ irruerit
In me immanitate,

Vidisti

Vidisti quà sævierit
In vinctum feritate:
Quidquid Livor, invidia,
Furórque præceps cudit,
Hoc populi perfidia
In unum me profudit.

88.

Ausa execrabilia
Et machinationes,
Eorum & consilia
Et *cogitationes*,
Adversum me tyrannica
Plusquàm severitate
Gens egerit Hebraica
Ferox crudelitate.

89.

Sin. *vers.* 61.

Audisti & opprobria
Cauteriatæ mentis,
Vidisti & ludibria
Seditiosæ gentis,
Audisti contumelias
Ceû pila, tela, hastas,
Audisti & calumnias
Arcu linguæ vibratas.

90.

Audisti quæ judicia
Adversùm me sint cusa,
Quæ pœnæ, quæ supplicia
Ex odio conclusa,
Impietas quæ potuit
Contexere figmenta,
Hæc in mei composuit
Reatûs argumenta.

91.

Sin. *vers.* 62.

Labra convitiantium
Livore venenata,
Commenta mentientium
Adversum me jurata,
Et in me *insurgentium*
Linguas felle stillantes
Audisti, & furentium
Voces necem spirantes.

92.

Audisti consultantium
Firmatas ultiones,
Et discissarum vestium
Ex ira scissiones,
Diebus quæ & noctibus
In me *sunt meditati*,
Iniquis suam testibus * legib,
Malitiam tutati.

93.

Sin. *vers.* 63.

Vide Vindex Justitiæ
De throno Majestatis
Et Judex Innocentiæ
Opus iniquitatis!
Quanto desudant studio
Mei perditionem,
Quanto meam tripudio
Agant abjectionem.

94. *Vide*

94.
Vide mentis ſævitiem
Et *reſurrectionem*,
Meam & in perniciem
Eorum ſeſſionem!
Sum ſtantibus, ſedentibus,
Euntibus inviſus,
Sum fabula *pſallentibus*
Ludentibúſque riſus.

95.
Thau. *verſ.* 64.

In hoc meo diſcrimine
Vitæ calamitate,
Tu reddes vicem Domine
Pro tanta feritate!
Vicem reddes in pondere,
Reddes & in menſura,
Reddes eis cum fœnore
Injuſta pro cenſura.

96.
Reddes ſecundùm opera
Jus *manuum ſuarum*,
Reddes ſecundùm ſcelera
Mercedem ærumnarum,
Reddes æquâ juſtitiæ
Staterâ talionem,
Reddes diu malitiæ
Dilatam ultionem.

97.
Thau. *verſ.* 65.

Dabis eis ſupplicium
Afflicti *Scutum cordis*.
Dabis eis exitium
Optandæ votum mortis,
Dabis eis anguſtias
Et deſolationes,
Dabis eis mœſtitias
In deſperationes.

98.
Dabis inquietudines
Mentis deliramenta,
Dabis ſolicitudines
Et animi tormenta,
Reddes afflictionibus
Par, maledictiones,
Reddes illuſionibus
Par, execrationes.

99.
Thau. *verſ.* 66.

Juſto Deus judicio,
Iuſto iræ *furore*,
Hos argues ſupplicio
Et gladii rigore,
Tardo & pede plumbeo
Nocentes *perſequêris*,
Aſt brachio Chalybeo
In eos vindex eris.

100.
Vindex rebelles *conteres*
Ut lutum platearum,
Acta, agendis conferes
Cauſarum cenſendarum,
Cœlo teſte, ſideribus
Spectantibus vindictam,
Et pœnam pro ſceleribus
A Te juſtè inflictam.

CAPUT.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò Rupertus & Hugo putant hoc capite Jeremiam plangere excidium Hierosolymæ per Titum & Romanos, quia ejus causam affert v. ult. Scilicet quòd Christum occiderint. Secundò Hebræi Lyran: & Dionys. putant eum plangere necem Iosiæ optimi Regis, quæ fuit causa ruinæ & excidii Iudæorum: quia ei successerunt impii filii, qui sua impietate Remp: everterunt; & sic; v. ult: per Christum accipiunt Iosiam. Tertiò Paulus Burgensis, censet Prophetam plangere templi & cultûs divini eversionem. Quartò verosimiliùs Theodorus, Hugo, Bonaventura, Dionys: censent eum lugere lapsum Urbis & Templi, ac totius populi, præsertim nobilium Iuvenum v. 2. Lactentium v. 3. Nazaræorum v. 7. mulierum coquentium filios v. 10. ex statu tam felici, in tam miserum & infelicem: idque primò & propriè per excidium Chaldæorum, deinde per excidium Romanorum. Inde v. 20. obiter avolat ad Christum: ac v. 21. Cladem minatur Idumææ, ac Iudæos spe melioris sortis consolatur. Tropologicè deplorat lapsum animæ fidelis, & ruinam per peccatum, quæ multò miserabilior est clade Hierosolymæ.

I.

Aleph. *vers.* 1.

HEu me! quàm tristi terreor
Rerum metamorphosi!
Hanc fari, tremens vereor
Apta hypotyposi!
Quam nulla mens concipere,
Nec os enunciare,

Nec

Nec penna valet ſcribere,
Nec dolor explicare.

2.

Pallens tremo, arundinis
Instar lacu fluentis,
Aut fluctu navis, fluminis
Marisve pulſæ ventis,
Cor flaccet! riget animus
Attonitus ſtupore,
Hæret lingua, & calamus
Siccatur amarore.

3.

Quo tanto Magnum crimine
Numen exacerbatum,
Ullo ſine diſcrimine
In pœnas obfirmatum,
Manum extendit vindicem
In populi ruinam,
Servum plectens & Principē
Urbémque in rapinam?

4.

Quî templum cæli æmulum
Auro irradiatum,
Illud orbis miraculum
Ubique diffamatum,
Raro metallo ſplendidum,
Gemmiſque pretioſum,
Vaſtatum igne, luridum
Fumóque eſt umbroſum?

5.

Aurum carbonem induit,
Et anthracem argentum,
Gemma in lutum ſorduit,
Et lapis in cæmentum,
Mutatus color optimus
Tam nobilis metalli,
Factus pulvis viliſſimus
Sub ungula caballi.

6.

Gemmæ, torques, monilia,
Sacræ veſtis ornatus,
Magni RATIONALIA
Splendor Pontificatûs,
Armillæ, ſpiræ, annuli,
Et mitræ, & tiaræ,
Sunt præda facta populi
Deſtructi, foci, aræ.

7.

Et Lapides, gregarii
Satellites turmarum,
Sparſerunt ſanctuarii
In fronte platearum,
Sancta ſanctorum pedibus
Prophanis conculcantur,
Et ādyta parjĕtibus
Collapſis revelantur.

8.

Beth. *verſ.* 2.

Flos Iuventutis, *Inclyta*
Progenies *Sionis*,
Pubes, ætate Florida
Formoſi Abſalonis,
Crine Scintillans aureo
Auróque primo cincta,

Vultu candens eburneo
Et labra rosis tincta.

9.

Heu ! *quomodò* tam nobilis
Tam comis pulcritudo,
Est facta despicabilis
Et Urbis turpitudo?
Ver illud vitæ floridum
Delitium ætatis,
Est turpe, fœdum, luridum
Portentum vanitatis!

10.

Hæc illa *vasa aurea*
Gemmísque pretiosa,
Mutata sunt *in testea*
Et vascula lutosa?
In trullas manu figuli
Fictas, refictas, fractas,
Ac demum instar sabuli
In pulverem redactas?

11.

Ghimel. *vers.* 3.

Crudeles feræ *lamia*
Mammas denudaverunt,
Desertis in Arabiæ
Et natos lactaverunt,
Et in solitudinibus (*a*)
Lac *catulis* dederunt
Dracones, ab uberibus
Qui matrum pependerunt.

12.

An Sævior Draconibus
Et feris Africanis?
Silvestribúsque canibus
Et Syriæ Hyænis?
Sit meæ gentis *Filia*
In suos ferox natos?
Excors, ausa crudelia
Mater in trucidatos?

13.

Ausa mucronem mergere
In jugulum suorum?
Et miserandum cernere
Agonem filiorum?
Nullis immadescentibus
Luminibus dolore?
Ad grande crimen sensibus
Nullo tactis dolore?

14.

Omnémne mentem exuit
Et sensum rationis?
Ergóne duram induit
Naturam *Struthionis*?
Qui, quos per ova peperit
Exclusos in arena
Neglectos pullos deserit
Ceu probra aliena?

15.

Daleth. *vers.* 4.

Infanti mater uberum
Expectorat mammillas,

Et

(*a* Philostr. apud Cornel. (*b* Cornel. Ibi.

Et ad arentes puerum
  Insinuat papillas,
Hic nil sugendo proficit,
  Cùm latex desit fonti,
Sed matris premens, deficit,
  Os ori, frontem fronti.

16.

Anhelat succum parvulus
  Hiante siccus ore,
Sed nullus stillat rivulus
  Amisso sinûs rore,
Labella rigent pallida
  Ad uberum canales,
Trahúntque siti arida
  Singultus mortuales.

17.

Adhæsit lingua pupuli
  Lactentis ad palatum,
Et epiglottis juguli
  Ad guttur exsiccatum,
Cum morte luctans anima
  Cùm vellet flens migrare,
Non erat unde lacrima
  Se posset eliquare.

18.

Tenella turba, *parvuli*
  Annis solidiores,
Ætate bimi, trimuli,
  Quadrimulis majores,
Jam docti crustam mandere
  Expetierunt panem,
Nemo erat qui frangere
  Per tantam vellet famem.

19.

He. *vers.* 5.

Voluptuosis epulis
  Assueti convivari,
Et pretiosis poculis
  Ad luxum satiari,
Diei noctes jungere
  Prandendo & cœnando,
Jentacula præmittere
  Merendis coronando.

20.

Hi Persica paropside
  Sumptáque impinguati
Grandi famis tyrannide
  In monstra deformati,
Ad nauseam quos saties
  Impleverat ciborum,
Hos miseranda macies
  Extenuat membrorum.

21.

Umbrarum instar ambulant
  Pallore luridarum,
Fragmenta panis supplicant
  Et cymbium aquarum,
Nec hæc dantur famelicis,
  Hinc siti corruentes
In viis passim *publicis*
  Exspirant sitientes.

22.

Qui croceis, & cocceis
Nuper *nutriebantur*,
Argenteis & aureis
Pallis veſtiebantur,
Pro Coa veſte *ſtercora*
Lutúmque *amplexati*,
Et ut ſetoſa pecora
Fimeto volutati.

23.
Vau. *verſ*. 6.

Fœtor cælum aſcenderat,
Libidinum mephitis,
Et clamor increbuerat
A reis Sodomitis,
Movêre cælos crimina
In meritam vindictam,
Pluentes Sulphur, fulmina
In gentem maledictam.

24.

Magna fuit calamitas
Pentapolis crematæ,
Horribilísque vaſtitas
Urbis incineratæ,
Aſt nulla pœnæ paritas
Noxis Sodomitarum,
Quam patitur iniquitas
Culpæ, Solymitarum.

25.

Prægnantes nimbi ſulphure
Et ignium torrentes
Bihorio vix tempore
In cædem irruentes,
Fudêre picis pluviam
Brevi Urbis lamento,
Excidii tragædiam
Claudentes *in momento*.

26.

Ut alta cedrus Salices
Et Platanus geniſtas,
Puſillas palma carices
Et Populus ariſtas,
Oceanus ut flumina,
Et hæc excedunt fontes,
Pygmæa terræ culmina
Calpe, Pindúsque montes;

27.

Sic Solymæ calamitas
Excedit Sodomorum,
Cui nulla par eſt gravitas,
Nec numerus malorum,
De hac nil dignum dicere,
Tantùm licet ſtupere:
Angi, triſtari, gemere,
Queri, dolere, flere.

28.

Urbis hujus mœſtitias,
Dolores, & terrores,
Agones, & anguſtias,
Et mortis amarores,
Non unus ſolis circulus
Orbem perambulantis,

Nec

Nec Lunæ fixit oculus
Noctis faces lustrantis.

29.

Longa Urbis vallatio
Exercitûs Chaldæi,
Murorum expugnatio
Montísque Sionæi,
Fames, sitis, vastatio,
Plagæ, cædes, rapinæ,
Constans fuit afflictio
Jugis carnificinæ.

30.

Is Sodomæus clibanus
(Accensa cælo pyra)
Diei fuit terminus,
Quo Dei sævit ira,
Hic nulla manus hostica
Peccantibus vim fecit,
Nec mancipes vulnificia
In vincula conjecit.

31.

Ast in extensam Solymæ
Excidii ruinam,
Tormenta quot, quot lacrimæ
Malorum in sentinam
Unam fluxêre: omnium
Scopum miseriarum,
Et veluti compendium
Cunctarum ærumnarum.

32.

Zain. *vers.* 7.

Hoc periit exitio
Decoris flos Hebræi,
Candidiores lilio
Nivéque Nazaræi,
Amænis grati vultibus
lacte nitidiores,
Super ebur rubentibus
Saphiro pulcriores.

33.

Passis devoti crinibus,
Ut sacri Deo sponsi,
Nullis tacti forficibus
Novaculáque tonsi,
Amicti veste byssina
Argento picturata,
Et zona hyacinthina
Cincti, auro striata.

34.

Hæc illa vultûs raritas,
Augusti splendor oris,
Hæc corporis amœnitas
Et gratia coloris,
Hæc *lactea* formositas
Eburnea venustas,
Hæc *nivea* hilaritas
Saphirina majestas.

35.

Heth. *vers.* 8.

Versa in turpitudinem,
Abominationem,

In fumeam nigredinem
Contaminationem,
Super carbones, facies
Eorum denigrata,
Pulcráque frontis species
In Maurum deformata.

36.

Nullo, virgo cæsaries,
Tonsore violata,
Et cincinnorum acies,
Forficibus vastata
Sordet, sine discrimine
Fœdis plicis implexa *
Sine lege & ordine
Neglecta & impexa.

37.

Sacrorum cultus vestium
Et corporis ornatus,
Par gausapæ agrestium,
Aut vilis mancipatûs,
Nullum inter gregarios
Discrimen est Judæos,
Et inter honorarios
In *vicis* Nazaræos.

38.

Non sunt in foris cogniti,
Nec agniti *plateis*,
Mœrore, planctu luridi
Flentes in propylæis,
Exhausti fame, corticis
Instar, cute rigentes,
Exsucci, instar pumicis
Aquæ siti arentes.

39.

Adhæsit cutis ossibus
Pænè emedullatis,
Membris cunctis torpentibus
Nervis succo privatis,
Et quasi lignum aruit
Pellis emaciata,
Et virium contabuit
Virtus mortificata.

40.

Teth. *vers.* 9.

Felices, furor hostium
Quos morti immolavit,
Quos mucro sævientium
Armorum jugulavit,
Ah meliùs! ah satiùs!
Fuit ferro enectis,
Malesuadæ crudeliùs
Quâm fame interfectis.

41.

Felices fuso sanguine
Qui strati perierunt,
Quid, famis magnitudine
Sit premi, nesciêrunt:
Qui sicci instar funeris
Vivi *extabuerunt*,
Et in morem cadaveris
Consumpti putruerunt.

42. Nulla

* Plicæ sunt morbus capillaris.

42.

Nulla belli crudelitas
Tanta immanitate,
Agrorum ut *sterilitas*
Annonæ charitate
Sævit, furens in corpora
Humana & ferina,
Hortos, prata, & nemora
Dum decoquit pruina.

43.

Iod. *verʃ.* 10.

Quid unquam horribilius
Sol arbiter ſpectavit?
Improbius, immanius,
In Orbe toleravit?
Quin protinus occuleret
Sub atra nube lumen,
Ne tantum teſtis cerneret
Aperto vultu crimen?

44.

Quidnam lamentabilius
Mens amens impiavit?
Quid dextera crudelius
Materna perpetravit
Unquam? ſibimet impia,
Inviſa, violenta?
Ut filios in prandia
Trucidet truculenta?

45.

Nullúmne inter hominem
Et pecus eſt diſcrimen?
Ergon' naturæ ordinem,
Et fas tranſire limen?
Ergon' materna viſcera
Parentes exuerunt?
Ergon' humana fœdera
Excordes diſruperunt?

46.

Amor matrum exercuit
Tyrannidem natorum,
Miſericordes docuit
Dolor, cædem ſuorum,
Magìs pium recondere
Credentes in ſe natos,
Quàm longa fame cernere
Sitíque cruciatos.

47.

Major fuit calamitas
Videre ſic periſſe,
Minor fuit improbitas
Coxiſſe & ediſſe:
Sic idem matris uterus
Qui vivos mundo dedit,
Defunctis rurſus tumulus
In ſepulturam cedit.

48.

Hanc populi *contritio*
Abominationem,
Longa fecit afflictio
In deſolationem,
Ut citiùs eriperet
Longæ per cædem morti,
Finémque morte faceret
Tam miſerandæ ſorti.

49.

Caph. *verſ.* 11.

Numen ad hanc ſupplicii
 Cataſtrophen coëgit
Ingens moles flagitii,
 Quam populus collegit
Suo rebellis Domino:
 Complevit hinc furorem,
Pleno menſuræ termino
 In mortis amarorem.

50.

Complevit: & ut fluvium
 Suam effudit iram
In ſcelerum diluvium:
 Arcémque velut pyram
Flammis Sion ultricibus
 Incendit, munimenta
Vaſtavit diris ignibus,
 Voravit fundamenta.

51.

Lamed. *verſ.* 12.

Cuſcumque nota mænia
 Robuſta Solymarum,
Suggeſtus, & proſcenia
 Muralium foſſarum,
Quadro firmata marmore
 Turres faſtigiatæ,
Miróque artis robore
 In petram ſolidatæ,

52.

In gyrum ambientia
 Urbis ſubſtructiones
Vaſta mole, ingentia
 Caſtella, legiones
Solo ſuo munimine
 Hoſtiles propulſura,
Caſtríque fortitudine
 Vim omnem eluſura.

53.

Qui viderit miracula
 Regalia murorum,
Stupenda propugnacula
 Portentáque vallorum,
Intra muros pomœria
 In ordines dimenſa,
Dicet: Orbis Imperia
 In Urbem hanc impenſa.

54.

Quæ? quanta? qualis? poſtium
 Et fabrica portarum?
Inſultus impetentium
 Fractura baliſtarum?
Ruptura & arietes
 Et machinas curules,
Quas hoſtis in parietes
 Immitteret murales.

55.

Vis nulla, nec potentia
 Viſa debellatura,
Arte firmatam Martiâ
 Imperviam naturâ
Hanc molem; hinc ludibria
 Sunt viſa Chaldæorum,
Jactantium opprobria,
 Minas, & vim armorum.

56. Deli-

56.

Deliria sunt Regibus,
Principibus, Dynastis,
Et joca sacerdotibus
In saxum obstinatis,
Et creditæ affaniæ,
Et fabulæ aniles,
Et populo insaniæ,
Fucique pueriles.

57.

Istud orbis prodigium?
Sedes securitatis?
Hoc populi præsidium
Sit fax captivitatis?
Hoc Regum diversorium
Thronus felicitatis?
Hoc gloriæ emporium
Sit scopus vastitatis?

58.

Nulla vaticinantibus (a)
Data fides Prophetis,
Et vera prædicentibus
Divinis è Decretis.
Jussu Dei conscripserat
Quæ fata, Jeremias,
Hos Joathan cremaverat
Et libros, Sedecias.

59.

Falsa putata omnia
Prædicta in ruinam,
Et Prophetarum somnia
Reis in medicinam,
Iussit Deus quæ pandere,
Ut mala præcaverent,
Ut docti possent plangere
Cautíque pœniterent.

60.

Nec *Principes*, nec *Populi*,
Nec Reges crediderunt,
Omnes cædis increduli
Prophetas deriserunt,
Ut hostis Urbis mœnia
Portásque subintraret?
Stulta visa est nænia:
Cui nemo fidem daret.

61.

Illam? Illam Ierusalem
Chaldæa gens delebit?
Cui totus Orbis similem
Nec vidit, nec videbit?
Arx illa, Sion, corruet
Tam sacra, pulcra, fortis?
Hostísque Templum polluet
Sanctis eversum portis?

62.

Mem. *vers.* 13.

Ruet: ibit in cineres
Urbs, Arx, Templum exustum:
Rupti fossarum aggeres
In unum cadent bustum:
Propter Pseudo-flagitia
Et culpas-prophetarum,

(a Hugo. Rupertus. S. Thomas apud Cornel: ibid.

Hæc accident ſupplicia
Pœnæque ærumnarum.

63.

Iuſta vindictæ fulmina,
Plectentis irritârunt
Tot *Sacerdotum crimina*,
Quæ rei perpetrârunt,
Phaſſur, qui juſtum ſanguinem (*b*)
Fundi â Rege fecit,
Et in mortis caliginem
Inſontes tot conjecit.

64

Hi, qui Manaſſis frameas
Egerunt in furorem,
Secures, tela, lanceas
Ut funderent cruorem,
Tot innocentes perderent,
In ore platearum,
Probósque ferro cæderent
In morem victimarum.

65.

Myſtarum Hæc improbitas
Hanc fabam Urbi cudit,
Hæc, iras, cælo, meritas,
In Solymam effudit,
Hæc catapultas mænibus
Rumpendis applicavit,
Palatia hæc ignibus
Injectis cineravit.

66.

Nun. *verſ.* 14.

Tot innocentûm *ſanguinè*
Infamiter *polluti*,
Acti velut vertigine
Luminibus exuti,
Cæci per urbis compita
More Andabatarum,
Errârunt per incognita
Palpantes platearum.

67.

Exoſi, execrabiles,
Ab omnibus contempti,
A quibus inculpabiles
Iuſtíque tot perempti,
Quos tortor conſcientia
Et ſcelerum reatus
Vindex plectit, ſententiâ
Sibi latâ damnatus.

68.

Errârunt mente perciti
Et velut entheati,
Urbe capta perterriti,
Afflicti, anxiati. (*c*)
Cæci. & ob caliginem
Et ſordes, & fœtorem,
Immundi, propter ſanguinem
Et funerum pædorem,

69.

Ne ſyrmate contingerent
Cadaverum lurorem,

Affrictu

(*b* Sanchez apud Cornel. ibid.

(*c* Sanchez, apud Cornel. ibid.

Affrictu ne polluerent
Stolæ mundæ candorem,
Suas cauti *lacinias*
Levantes *tenuerunt*,
Ne tactu immunditias
Contraherent, caverunt,

70.

Samech. *vers.* 15.

Recedite, *recedite*,
Polluti, infamati,
Nec mundos nos inficite
Tabo contaminati,
Recedite, discedite,
Abite, *clamaverunt*,
Nec veste nos contingite,
Quos culpæ infecerunt.

71.

Quæ rerum consternatio?
Quod chaos animorum?
Quæ Urbis perturbatio?
Confusio virorum?
Rixæ, clamores, jurgia,
Convitia furentûm,
Et in cædes litigia
Minorum & Potentûm.

72.

Hos, inter Gentes, mancipes
Abduci qui viderunt,
Heros, servos, municipes
Plorantibus *dixerunt*,
Non addet ultra Dominus
Ut habitet in eis:

Hic, pulsis esto terminus
Exulibus Iudæis.

73.

Eversis Urbis mœnibus
Igne ferróque stratis,
Palatiorum ædibus
Solo coadæquatis,
Templo (Regnorum opibus)
A Salomone, structo
Divinis sanctum cultibus,
Ad cineres reducto.

74.

Non ampliùs Encænia,
Nec Tabernaculorum,
Nec Paschatis Solemnia,
Nec festa Sabbatorum
Agentur! ad altaria
Non victimæ cædentur,
Sed aræ, & sacraria
Profana diruentur.

75.

Fuit (dicetur) Solyma,
Arx Sionæa fuit!
Urbs urbium sanctissima
Orbis Regina ruit:
Ruit: nervo militiæ
Suóque Marti fisa,
Chaldeæ vi potentiæ
(Quis crederet?) excisa.

76.

Phe. *vers.* 16.

Excisa, turpi penitùs
Agone exspiravit,
Hosti-

Hostiles quis exercitus
In clades has armavit?
Chaldaicas quis acies
In bella concitavit?
Irati *Dei facies*
Insontes vindicavit.

77.

Hac, illos fecit exules
Dispergens inter gentes.
Hac fecit miserabiles,
Mœstos, gementes, flentes,
Hac vilis numi pretio
Triginta fecit vendi,
Et unico teruncio
Tot pro tributo pendi.

78.

Hac illa vultûs gratia
Quondam mitis, serena,
Amabili clementia
Et suavitate plena,
Prona in beneficia,
Longanimis in pœnas,
Tandem spirat supplicia
Iræque dat habenas.

79.

Nullo Sereno sidere
Frons micat plena minis,
Horrendo torva fulgure
Iustis intenta pœnis.
Non addet, ut respiciat
Aut gemitus aut preces,
Æternùm sed abiiciat
A se in statas neces.

80.

Hæc illa *Dei facies*
Acinaces vibrantis,
Hæc oculorum acies
Iræque fulminantis,
Iusto cæli judicio
Compensat talionem.
Cùm læso sacerdotio
Immittit ultionem.

81.

Sacerdotalem faciem
Qui non erubuerunt,
Sed horum in perniciem
Et cædes sævièrunt.
Nec veriti canitiem
Senum authoritatem,
Nec venerandam speciem
Annorum dignitatem.

82.

Quos nulla reverentia,
Nec ordo dignitatis,
Nec vitæ innocentia,
Nec Lex immunitatis
A crimine deterruit,
In Iustos ne sævirent,
Sed impotentes acuit
Livor, ut Hos ferirent.

83.

In fœdos trusi carceres
Compedibus constricti,

Vates,

Vates, ut falsi augures,
Contriti & afflicti,
Nulla in Senes gratia
Ut fractis parceretur,
Sed pari violentia
In omnes ageretur.

84.

Ain. *vers.* 17.

Cùm firmo pede civica
Virtus armata staret,
Et in flore Respublica
Adhuc perseveraret,
Cùm viribus potentia
Et armis valeremus,
Opúmque affluentia
Nervóque polleremus.

85.

Ægyptiorum robore,
Suppetiis securi:
Forti staremus pectore
In hostes ruituri,
Vires juncturi viribus,
Virtutibus virtutem,
Laturi pulsis hostibus
Spe auxili salutem.

86.

Nostri delusi *oculi*
Spe opis defecerunt,
Et consternati Populi
Res, spésque perierunt,
Vana Regis *auxilia*
Nilotici ruerunt,
Et irrita consilia
In auras abierunt.

87.

Respiceremus avidi
Cùm manum Pharaonis,
Et legiones pavidi
Armatæ regionis,
Attenti Mareoticæ,
Quæ nos salvaret, genti,
Fidentes opi bellicæ
Solatium ferenti.

88.

Nullum Memphis subsidium
Adduxit, quod spopondit.
Et factis Pareoticum
Promissum non respondit.
Sic fides Pelusiaca
Fefellit Solymæos,
Et feritas Chaldaica
Irrupit in Iudæos.

89.

Sade. *vers.* 18.

Cùm feræ via clauditur
Indagine silvarum.
Canúmque vi compellitur
In viacula plagarum,
Angustiata premitur
Metúque verberatur,
Effugiúmque quæritur
Quâ viâ elabatur.

90. Sic

90.

Sic undique ab hoſtibus
Victoribus vallati,
Clauſis victorum ductibus
Immaniter arctati,
Pulſi, repulſi, fuſtibus
Et taureis multati,
Et intentatis mortibus
Crudeliter vexati.

91.

Coacti pulſi fugere
Flagro tergum premente,
Pes noſter *in itinere*
Ceſſit, greſſu fallente.
Laſſa pedum veſtigia
Fugâ *lubricaverunt*,
Et crura per effugia
Laſſata conciderunt.

92.

Plateas quot rigavimus
Fuſi fonte cruoris!
Quot vias purpuravimus
Noſtri teſtes doloris?
Hoc omnium compendium
Supremum eſt malorum,
Finis noſter, ſtipendium
Tot criminum noſtrorum.

93.

Finis noſter, & terminus
Tandem *appropinquavit*,
Quem nobis fixit Dominus
Urbique deſtinavit:
Finis venit, qui cenſuit
Menſes, dies, & horas,
Et in ſtatera poſuit
Momenta, curſus, moras.

94.

Coph. *verſ.* 19.

Solâ reſtabat, quærere
Fugâ preſſis ſalutem,
Et miſeram effugere
Afflictis ſervitutem,
Per devia, & invia,
Per aſpera viarum,
Latebras, per tot tædia,
Rimari ærumnarum.

95.

Quêiscumque in latibulis
Fugaces abderemur,
Et in petrarum angulis
Occulti clauderemur,
Omnes viarum orbitas
Et oras indagavit
Cata hoſtis ſagacitas,
Ac tectos exploravit.

96.

Fuêre cæli avibus
Noſtri perſecutores,
Et aquilis volucribus
Curſu *velociores*,
Equis, camelis, curribus
Ubique nos ſecuti,
Ut nec in ſummis montibus
Sat lateremus tuti.

97. Fer-

97.

Ferarum receptacula
Et arduos recessus,
Et tigridum latibula
Hostilis Mars ingressus,
Et in desertis collibus
Insidias paravit,
Et in profundis specubus
Vigilias locavit.

98.

Res. *vers.* 20.

Lugenda hæc, & fletibus
Sanguineis ploranda, (*d*)
Quæ tot calamitatibus
Fuêre toleranda:
Ast, quod multò damnosius
Planctu dignum majore,
Deflendum copiosiùs
Intermino dolore,

99.

Post lugubres tragœdias
Catastrophes malorum,
Funestas Urbis nænias
Epilogum malorum;
Heu! *nostri oris spiritus*
In nobis exspiravit,
Nostræque vocis sonitus
In auras exhalavit.

100.

Christus, idémque *Dominus*
Et Rex, ab hoste *captus*
Velut servorum minimus
Vinctus in jugum raptus,
Et in nostris, quæ fecimus,
Peccatis mancipatus,
Pœnáque, quam meruimus,
Pro nobis castigatus.

101.

In umbra tua, diximus,
In gentibus vivemus,
Ut quondam Tui viximus,
Sic capti te colemus,
Qui Tuo de peculio
Pro nobis litrum pactus,
Par nobis in exitio
Pro servis, servus factus.

102.

Sin. *vers.* 21.

Gaude nunc *Edom Filia*,
Gaude, plaude, *latare*,
Insulta, & exilia
Afflictis gratulare,
Exulta, & tripudia
Salsis sannis jocare,
Opta mortes, excidia,
De plagis jucundare.

103.

Nescis! heu nescis misera
Quæ seges flagellorum,
A Dei in te dextera
Exspectet vibrandorum.

Nescis

(*d* Spiritu Prophetico de Christo hæc dicta asserunt SS. P.P. apud Cornel. ibid..

Nescis Dei consilia
Et sensa Decretorum,
Et fata quàm crudelia
Te maneant malorum.

104.

Pares Idume senties,
Aut etiam majores,
Mihi devotos centies
Aut millies furores,
Feres jocorum pretia
Et subsannationum,
Cùm eadem te retia
Claudent vastationum.

105.

Chaldæam feres frameam,
Hussæa Inquilina,
Multiplicémque tauream
Superba Heroina,
Gemes sub jugo Gentium
Et pressa lacrimabis,
Serò, te affligentium
Perfidiam damnabis.

106.

Ad te quoque perveniet
Absynthii & fellis
Calix, qui te inebriet
Pro dulci favo mellis,
Bibes coacta nauteam,
Bibes amurcæ fæcem,
Vappam & undam luteam
In tuam manceps necem.

107.

Superba nunc, *nudaberis*
Ab hoste prostituta,
Fortunis spoliaberis,
Auro, gemmis exuta,
Pro fastu ignominiam,
Pro gazis egestatem,
Pro gloria infamiam
Feres, & vastitatem.

108.

Thau. *verf.* 22.

Tuæ, O Sion Filia
Mensura pravitatis,
Et innumerabilia
Probra iniquitatis,
Et Numinis Iustitia
Completa, te plectentis,
Et hostis inclementia
Immanè sævientis.

109.

Completus pœnæ terminus
Tuíque mancipatûs,
Quem tibi fixit Dominus
Ob criminum reatus,
Non addet ultra plectere,
Non addet castigare,
Si culpas culpis nectere
Non addes, nec peccare.

110.

Non addet posthac, timeas
Ut transmigrationem,

Aut

Aut peregrina lugeas
In terra mansionem,
In Dei reverentia,
Lege, cultu, timore,
Ejúsque si præsentia
Stes, & agas amore.

111.

Ast nunc & Edom Filia
Te Numen *visitavit*,
Et paria supplicia
In te agglomeravit,
Hostiles iras senties
Et perferes machæras,
Vincta, mancépsque servies,
Quæ nuper Princeps eras.

112.

Justo Dei judicio
Hostis, qui in Iudæos
Idem pari supplicio
Furet in Idumæos,
Namque *discooperuit*
Tua Deus peccata,
Tam diu quæ occuluit
Tandem manifestata.

113.

Hæc facta palàm omnibus,
Orbi toti patebunt,
Divinis ultionibus
Quæ posteros docebunt,
Quid sit Numen offendere,
Ad iram provocare,
Pro noxis pœnas pendere,
Æternùm exulare.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HOc caput est quasi brevis iteratio & summa Threnorum. Sicut enim Rhetores in peroratione iterant, densántque ea, quæ tota oratione dixerunt, tum memoriæ tum motûs causà, ut magis auditores moveant; ita & facit hic Jeremias. Inscribitur hoc caput non in Hebræo, sed â septuaginta & nostro interprete ORATIO JEREMIÆ. Nam primò, mala populo, ob peccata, à Deo illata, & in Threnis recensita, refricat, & summatim enumerat: deinde orat pro misericordia, ut Deus populum in pristinum statum restituat. Hanc orationem Jeremias composuit post vastatam Jerosolymam, antequam

quam iret in Ægyptum ; Porrò hæc oratio non est composita ordine literarum Hebraicarum, totidem tamen habet versus, scilicet viginti duos.

Hæc, quæ hoc capite recenset Jeremias, Judæis illata, omnia & singula ad literam evenerunt Christianis, cùm ob sua peccata, perdiderunt eandem terram sanctam, Græciam, Asiam, aliásque Provincias, quæ à Turcis & Hæreticis occupantur, Cornel. à Lap. ibid. in vers. 2. Hæc omnia pariter facilè est adaptare peccatori, qui totidem, imò plura damna per peccatum incurrit, Vid. Dion. Carthusian; ibid.

1.

Æterna sapientia,
Majestas increata,
In qua omnis scientia
Et visio beata,
Quam nulla latent sæcula
Myriades annorum,
Nec abditorum specula
Latentium Fatorum.

2.

Quæ vasta cæli spacia
Abyssos intueris,
Infausta & felicia
Eâdem manu geris,
Te coràm sunt præsentia,
Quæ sunt, erunt, fuerunt,
Nulla casu nascentia
Sunt, quæ Te latuerunt.

3.

A Tuæ Providentiæ
Altissimo obtutu,
Et arduæ Prudentiæ
Cuncta moventis nutu,
Terrestria, cælestia
Et inferi reguntur,
Et cordium latentia
Et abdita cernuntur.

4.

Hæc universi machina
Theatrum Majestatis,
Tuæ, velut in trutina
Divinæ æquitatis,
In æquilibri pondere
Trium articulorum
Pendet, & manûs robore
Tuorum digitorum.

5.

vers. 1.

Abscondita qui mentium
Et latebras scrutaris,
Dolentium & flentium
Angustias rimaris,

Me-

Memento quid acciderit
Tabentibus mœrore,
Et *nobis* quid evenerit
Afflictis amarore.

6.

Ah Tuæ Gentis *Domine*
Contritæ *recordare*,
Tuíque vultûs lumine
(Licèt reos) dignare,
Dignare; & *opprobrium*
In nostrum intuêre,
Respiciens ludibrium
Plagámque miserere.

7.

vers. 2.

Nostrorum Patrimonia,
Patrum *hæreditates*,
Domos, & latifundia
Opúmque facultates,
Extranea vis rapuit,
Possedit *aliena*,
Et improvisâ obruit
Nos hostis laniená.

8.

vers. 3.

Nullus pupillis pater est,
Qui orphanis faveret,
Nulla iisdem mater est,
Quæ miseros foveret,
Sunt nati absque patribus,
Sunt absque natis patres,
Sunt proles absque matribus,
Sunt absque prole matres.

9.

vers. 4.

Aquam communem omnibus
Nullíque vectigalem,
Nos *loculis* exsolvimus
Et *bibimus venalem*,
Ligna nuper *nostratia*
Pleno possessa jure
Nobis censa in pretia
Expenso *empta ære*.

10.

vers. 5.

Juga nostris cervicibus
Ut brutis *minabamur*,
Insertis collo funibus
Ad plaustra ducebamur,
Urgebat hostis operas,
Nec data fessis quies,
Solutas nulla dexteras
Nox vidit, neque dies.

11.

vers. 6.

Proni *manus Ægyptiis*
Fame emaciati,
Et supplices *Assyriis*
Labore fatigati,
Pro panibus extendimus,
Ne fracti moreremur,
Dedidimus, subjecimus
Nos, *ut saturaremur*.

12.

verſ. 7.

Patres noſtri peccaverant,
Merentes maledicta,
A Domino receſſerant,
Nos ſumus delicta,
Eorum nos portavimus
Nati iniquitates,
Et hinc, in has incidimus
Plexi calamitates.

13.

verſ. 8.

Chaldæus hoſtis, famulis
Nos mancipes ſubjecit,
Et improborum ſtimulis
Servorum, reos fecit,
Non erat, qui redimeret
A turpi mancipatu,
Et nos ab hoc eximeret
Herili famulatu.

14.

verſ. 9.

Panis, & vita, pretio
Vænùm proſtabat pari,
Idem erat exitio
Dari, & ſaturari.
Panem noſtrum attulimus
In gladii conſpectu,
Et in deſerto edimus
Cum anima neglectu.

15.

verſ. 10.

Pellis noſtra exaruit
Ut Clibanus exuſta,
Et arida induruit
Ut ſicca panis cruſta,
A facie incdiæ
Et famis tempeſtate,
A gemitu inopiæ
Et victûs egeſtate.

16.

verſ. 11.

Authoritate nobiles,
Excellas dignitate,
Virtutibus Laudabiles,
Spectabiles ætate,
Sionias mulieres
Ut viles, ſubjugârunt,
In Urbibúſque Virgines
Juda, humiliàrunt.

17.

verſ. 12.

Regni ſupremi Præſides
Inermes, indefenſi,
Et Populorum *Principès*
In ligno ſunt ſuſpenſi,
Non capitis canitiem
Effrontes ſuſpexerunt,
Nec venerandam *faciem*
Senum erubuerunt.

18.

verſ. 13.

Jugo adoleſcentibus
Abuſi ſunt injecto;
Serviliter molentibus;
Quin crimine coacto,
Vim impudentes *turpiter*
Invitis intulerunt:

Et

Et pueri infamiter
In ligno corruerunt.

19.

verſ. 14.

Authoritas Sedentium
In medio portarum
Senum, & judicantium
Negotia cauſarum
Defecit, & harmonica
Vox juventutis tacet,
Pſalmus, Chorus, & Muſica
In feſtis muta jacet.

20.

verſ. 15.

Cordis noſtri latitia
Et gaudium defecit,
Probrum, dolor, triſtitia
In luctus nos conjecit,
Verſa in fletum tympana
Et chori, & odæa,
Et cytharæ, & organa,
Siſtra, fides, chorea.

21.

verſ. 16.

Noſtri corona verticis
Et Regni diadema *
Splendor, laus, Urbis Principis
Et poteſtatis Schema
Ruit, quia peccavimus,
Væ nobis ſceleratis!

A Domino diſceſſimus
Væ nobis deſolatis!

22.

verſ. 17.

Exinde cor anguſtiis
Afflictum & dolore,
Suſpiriis, triſtitiis,
Et mentis amarore,
Et oculi ſunt lumine
Suo exſpoliati,
Et fumea caligine
Velut *obtenebrati*.

23.

verſ. 18.

Mons Sion! Urbis gloria!
Mons Sion! quo abiſti?
Te propter, ſunt ſuſpiria,
Quia *deperiiſti*!
Auguſto in palatio,
Quod Reges calcaverunt,
Suo ut in hoſpitio
Vulpes ambulaverunt!

24.

verſ. 19.

Tu autem rerum (Domine)
Principium & finis,
A cujus pendet numine
Homo, pulvis, & cinis,
Æternùm immutabilis
Per generationes,
In throno eris ſtabilis
In generationes.

* Cornel. ibid.

25. *verſ.*

25.

verſ. 20.

Cur ergo qui nec paſſeris,
Pullorum nec corvorum,
Sic noſtri oblivisceris
In ævum ſæculorum?
Ergo in longitudine
Relinques nos dierum?
Priorum nec dulcedine
Nos recreabis rerum?

26.

verſ. 21.

A, Te, qui nos avertimus
Vias pravas ſecuti,
Præcepta legis ſprevimus,
Malitiâ inducti,
In barathrum incidimus
Tantorum peccatorum,
Et in abyſſum ruimus
Damnorum illatorum.

27.

Ob noſtra læſus crimina
Ne faciem averte,
Sed pii Patris lumina
Clemens *ad nos converte*.
Et ducti pœnitudine
Nos ad Te convertemur,
Ut legis plenitudine
Te ſanctiùs precemur.

28.

Ut quondam Te coluimus,
Sic iterum colemus,
Da tantùm, ut qui fuimus,
Simus, & perennemus,
Annos reduc præteritos
Pacis & ſanctitatis,
Menſes, diésque perditos
In probro vanitatis.

29.

verſ. 22.

Diverſa per ſupplicia
Ut pilam nos *jeciſti*,
Et noſtra ob flagitia
A Te nos repuliſti,
Tuam iræ potentiam
Irruere feciſti,
Vindictam & juſtitiam
In nos exeruiſti.

30.

Tandem non noſtri ſceleris
Ut judex perpetrati,
Sed animi memineris,
Ut Pater Serenati,
Largire indulgentiam
Noxarum admiſſarum,
Et antiquarum gratiam
Miſericordiarum.

APO-

APODOSIS TROPOLOGICA
THRENORUM,
Sive
ANIMÆ PECCATRICIS
Et
POENIT: LACRIMÆ.

LACRIMAS ORBIS UNIVERSI priori libro cantatas, his non dispares in Threnis suis, vastatæ Hierosolymæ gemit Jeremias. Nam ut Petrus Bongus lib. de Num: mysteriis, apud Cornel. à Lapide in Prologom. Threnorum, ait, Symbol. quadruplici hoc Threnorum alphabeto innuitur, quòd Ieremias, non tantùm *Judæorum*, sed & QUATUOR PLAGARUM ORBIS, id est TOTIUS MUNDI peccata deploret, omnésque ad ea deploranda invitet. Unde & Infernus patere dicitur, & extendi ad stadia 1600. Apoc. 14. 20. Hic enim numerus à quadragenario est tetragonus. Nam quadragesies quadraginta faciunt 1600, ut significetur patere Infernum ad quatuor Mundi plagas, ad excipiendum impios undequaque in eum irruentes. Hierosolymam autem à Threnodo Propheta deploratam, ANIMAM PECCATRICEM, à doctissima Interpretum expositione, tropologico sensu designari, in principio Threnorum prænotavi. Hæc enim verò illa est, cui meritò cantentur *Lamentationes, Carmen & væ!* Illa Deo rebellis, fœdifraga, hostis,

legis Divinæ prævaricatrix ANIMA, ſtatu juſtitiæ & Dei Regno privata, dæmonis regno ſubjecta, ſervili dominatui ſubjugata, inferis mancipata, crudeli tyrannide oppreſſa, virtutum omnium opibus ſpoljata, gratiarum ſplendore exuta, nuda, abjecta, & exul: cui meritò occinatur illa vatis admirantis & obſtupeſcentis Threnodia, (a) *quomodo ſedet ſola civitas plena populo?* Illa illuſtris, ANIMA, probarum cogitationum, ſanctarum affectionum ſatellitio & comitatu, quaſi civibus & fideliſſimis amicis per peccatum orbata & deſolata? Illa Domina Gentium, id eſt, vitiorum & paſſionum, quas ratione regebat & Dei Timore, jam omni hoc dominio, imò & Deo, & rationis imperio viduata? Illa Princeps Provinciarum, id eſt ſuis potentiis & membris imperans, facta eſt mancipium dæmonis, *tot ſceptris ſerviens, quot dedita eſt vitiis*, (b) quibus dat tributum, cùm iis omnes opes ſuas & vires impendit & exhaurit? Hic ſceptrum habet ſuperbia in anima Impii, ſceptrum habet avaritia, ſceptrum habet libido, & cætera vitiorum agmina: tot enim tyrannis ſervit Impius, quot vitiis obtemperat: Nam ſceptrum & dominium rationi eripit, illúdque tradit concupiſcentiæ; perinde ac ſi quis Reginæ optimæ coronam detraheret, eámque meretricis petulantiſſimæ capiti imponeret, Regina enim eſt ratio, meretrix eſt concupiſcentia. Ita S. Chryſoſtomus hom: 11. in Ep. ad Rom. Unde & S. Auguſtinus Tract. 41. in Joan. (c) *Tolle*, inquit, *peccati Regnum, noli dare concupiſcentiis tuis vires: ſequendo eas, vires*

(a Thren. c. 1. v. 1. Cornel: à Lap. ibid. (b S. Hieronymus
(c S. Chryſoſt. S. Auguſt

vires eis addis : dando eis vires, quomodo vinces, quando contra te inimicos nutris viribus tuis ? (*d*) Sic omni ope cælesti destituta, & undique miserabilis *Anima plorans plorat in nocte*(peccatorum)*& lacrimæ ejus in maxillis ejus ; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus : omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici*, quia cum amicis creaturis, concupiscentiis & voluptatibus suis fornicata, mox ab iisdem amarorem, horrorem, nauseam, aliósque corporis & mentis cruciatus justo Dei judicio perpetitur ; deseritúrque ab illis omni humano solatio spoliata, fiúntque domestici, inimici ejus, in pœnam scelerum tortores, & continuis conscientiæ perturbatæ tormentis crudeles animi carnifices, neque desinunt, dies, noctésque immaniter, sine requie angustiatam fatigare, donec acceleratis ultimis morborum cruciatibus afflictam, & omni terrenarum delitiarum spe & ope destitutam, miserrima morte trucident. (*e*) Finis ergò & scopus Spiritûs sancti, & Jeremiæ in Threnis conscribendis fuit, Primò parentare Hierosolymæ jam vastatæ & quasi mortuæ : Celebrat enim hic funus & quasi exequias ejus, utpote Patriæ & Matris suæ amantissimæ, eóque simul lenit dolorem suum, & civium suorum. Ad hoc enim inventum est carmen funebre. Secundò hoc carmen est quasi epitaphium, quod Hierosolymæ memoriam ad posteros transmittat. Tertiò id ipsum est stimulus ad pœnitentiam, quod ut Iudæi ad Deum conversi, veniam, ac suam & Hierosolymæ restaurationem â Deo impetrent. Quartò Tropologicè datur hic Schema & forma sacri luctûs

(*d* Thren. c. 1. v. 2. (*e* Cornel. â lap. ut sup.

ctûs & pœnitentiæ, quam hic non meis, sed melliflui Doctoris Bernardi verbis, subjungo, & in epilogi vicem, *Animam* sincero dolore contritam, amaris lacrimis gementem, & profunda cordis amaritudine pœnitentem, peccata detestantem & lamentantem, in plurium Peccatorum sacrum solatium & emendationem, induco. (*f*) *Heu me peccatrix! heu me misera! in tantis peccatis, in tantis criminibus, in tantis negligentiis cecidi, quid primùm plangam, quid primùm plorem, quid primùm lugeam? Ego misera quem luctum primum sumam? Ego indigna quas lacrimas priùs fundam? Memoria non sufficit referre gesta tantorum criminum. O lacrimæ ubi vos subtraxistis? O lacrimæ ubi estis? Ubi estis fontes lacrimarum? Movemini obsecro ad fletum meum, fontes lacrimarum fluite super faciem meam, rigate maxillas meas! date mihi planctum amarū! succurre mihi Deus meus, antequam moriar, antequam mors præveniat, antequam me Infernus rapiat, antequam me flamma comburat, antequam me tenebræ involvant. Subveni mihi Deus meus, priusquam ad tormenta perveniam, priusquam me devoret ignis gehennæ, priusquam sine termino crucier in Inferno: Deus meus, quid faciam cùm venerit tremendum judicium tuum? Quid respondebo cùm venerit examen judicii tui? Quid dicam ego misera & peccatrix, cùm præsentata fuero ante tribunal Christi? Væ diei illi, in quo peccavi! Væ diei illi quando malum feci! Væ diei illi quando transgressa sum præcepta Dei! Utinam non illuxisset sol super me! Utinam non fuisset ortus sol super me! O dies detestanda, dies abominanda, ò dies penitus*

(*f*) S. Bernardus de modo bene vivendi sermon. 27. tit. Confessio.

nitus non nominanda, quæ me in hoc sæculum protulit, quæ mihi claustra ventris aperuit! Meliùs mihi fuerat non esse in hoc sæculo natam, quàm in Inferno perpetuò cruciatam! melius mihi fuerat non esse genitam, quàm pati æternas pœnas gehennæ! Satius mihi fuerat non esse in hoc mundo procreatam, quàm pati æterna mala! Flete super me cœlum & terra, plorate me omnes creaturæ! Et quæ potestis sensum vitæ habere, lacrimas effundite super me. Peccavi enim graviter, peccavi infeliciter, peccavi miserabiliter, innumerabilia sunt peccata mea! Ut bene vivere ultrò promisi! Sed bona quæ promisi, nunquam servavi. Semper ad peccatum meum redii, semper peccata mea multiplicavi, semper delicta mea iteravi! Nunquam in melius mores mutavi! A malis factis nunquam cessavi! Orate pro me Dominum viri Sancti, intercedite pro me, si fortè misereatur mei Deus, si fortè iniquitates meas auferat! O misera anima mea, quis miserebitur tui? Quis consolabitur te? O anima misera! O anima quis dabit lamentum pro te? Ubi est custos hominum? Ubi est Redemptor animarum? Ubi es Pastor bone? Cur despexisti me? Cur avertisti faciem tuam à me? Deus meus non me obliviscaris in finem! Non me deseras in perpetuum! non me deseras in potestate dæmonum! peccatrix sum, indigna sum, tamen ad te Deum meum confugio. Tu clemens, Tu pius, Tu multæ miserationis. Nullum spernis, nullum detestaris, nullum recusas à misericordia! Domine ostende in me misericordiam tuam. Obsecro Domine, ut non deneges mihi quod misericorditer multis dedisti. Scelera mea non defendo, peccata mea non abscondo. Displicet mihi malum quod feci. Ego

misera

misera peccavi! Errorem meum confiteor, culpam meam manifesto, Iniquitatem meam cognosco. Peccavi Deus meus, propitius esto mihi peccatrici. Parce malis meis, ignosce peccatis meis, indulge criminibus meis Domine: si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Nullus ad examen tuum, nec justitia justi secura erit; quis enim justus, qui se audeat dicere sine peccato? Nullus homo est sine peccato: nemo est mundus à delicto, nemo est mundus in conspectu tuo: ecce inter sanctos nemo est immaculatus: ecce qui servierunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis inventa est inquitas. Stellæ non sunt mundæ coram Te. Cæli non sunt mundi in conspectu tuo. Si igitur nemo in conspectu Tuo est Sanctus, nemo immaculatus, quantò magis ego peccatrix, & putredo ac vermis filia hominum, quæ bibi iniquitates quasi aquas, & multiplicavi peccata mea? Quæ sedeo in pulvere, quæ habito in domo lutea, quæ terrenum habeo fundamentum. Deus meus porrige dextram tuam mihi Peccatrici. Memorare obsecro Domine, quæ sit mea substantia. Memento Domine, quia terra sum. Memento quia cinis & pulvis sum. Medicinam, quâ saner, tribue: Medicinam, quâ curer, impende. Ego misera cecidi in foveam peccatorum meorum. Ego indigna cecidi in profundum inferni. Deus meus libera animam meam captivam ab inferno: non concludat me profundum, non absorbeat me infernus: non urgeat super me puteus os suum. Abyssus non deneget mihi exitum. Ecce dies timendus jam jam imminet, jam venit ultima dies, jam propè est dies mortis, nihil superest mihi nisi tumulus, nihil nisi sepulcrum. Parce mihi Domine, antequam vadam

dam

dam ad terram tenebrosam. Subveni mihi Deus meus priusquam vadam ad terram miseriæ & tenebrarum. Redemptor animarum succurre mihi antequam moriar: solve vincula peccatorum meorum, priusquam ad mortem perveniam. (g) *Ecce plasmator mei, multa rogavi, quæ nec pauca promerui. Fateor, heu, fateor, non solùm quæ postulo non debentur dona, sed multa & exquisita supplicia. Animant tamen me Publicani & meretrices & latrones, qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinibus excipiuntur Pastoris. Tu enim factor omnium Deus, licèt in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Unde de temet ipso per quendam tuum servum dixisti, miserationes ejus super omnia opera ejus. & quasi de singulo loquentem, de universo populo tuo dixisse confidimus: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis, nisi fortè qui amens te exhorruerit; ergo modò iratus non percutis, sed te irritantibus, dona, si quæsierint, tribuis. Deus meus cornu salutis meæ, & susceptor mei, ego infelix, ego te irritavi: ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, & passus es: deliqui & adhuc sustines: si pœniteo, parcis: si revertor, suscipis: & insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, exspectas torpentem, amplexaris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ, quid opponam nescio, quomodo respondeam ignoro, nullum absque te confugium,* nullum

(g S. August. med. c. 2.

nullum à te patet latibulum. Ostendisti mihi bene vivendi viam, & gradiendi scientiam dedisti: minatus es mihi gehennam, & pollicitus es Paradisi gloriam. Nunc Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, confige timore tuo carnes meas; quatenus quæ minaris, metuendo evadam, & redde mihi lætitiam salutaris tui, ut quæ spondes, diligendo percipiam. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum & liberator meus. Suggere quæ de te cogitem, doce quibus te sermonibus invocem, da quibus operibus tibi placeam: scio namque, scio, unum quo tu placaris, & aliud quod non spernis. Est utique tibi spiritus contribulatus Sacrificium, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me Deus meus, adjutor meus dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus, hoc de flammis vitiorum præsta refrigerium: his autem desideriorum passionibus, pande pius refugium. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, spes mea in die afflictionis, & salus in tempore tribulationis. En Domine illuminatio mea, & salus mea, rogavi quibus egeo, intimavi quæ timeo, sed remordet conscientia, reprehendunt me cordis secreta, & quod amor ministrat, timor dissipat, Zelus incitat, metus increpat, acta mea formidinem, sed tua ingerit pietas fiduciam, tua hortatur benignitas, me tardat malignitas: Et ut veriùs fatear, occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum, quæ reverberant audaciam præsumentium animorum.(b)Cùm enim quis odio dignus

(*b* Idem cap. 3.

gnus sit, qua fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam deposcit? lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito bravio: & dulcem affectum Patris stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitudinem, hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid mi Pater, me gessisse recolo? Merui mortem & peto vitam? Commovi Regem meum, cujus impudens invoco præsidium? Contempsi judicem, quem temere postulo adjutorem? Insolens renui audire Patrem, quem demum præsumo habere tutorem? Heu mihi quàm serò venio! Heu! heu quàm tardè festino! heu me quia curro post vulnera dedignans incolumis præcavere jacula. Neglexi prospicere tela, modò verò solicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti cicatrices tabe respersi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi; & quæ divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis, quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente, putruit, quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum, in quacunque hora justus peccaverit, omnes justitiæ ejus oblivíscentur. Si justitia aboletur justi peccatis, quantò magis pœnitentia peccatoris in idipsum revertentis. Quoties ut canis redii ad vomitum, & quasi sus repetii volutabrum? Fateor quæ mihi recordari est impossibile, quot mortalium ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi, volentibus consensi? quot sanè gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam retexi; ut patrare non horrerem,

obli-

oblivisci non metui. Sed tu justus judex, signans peccata, quasi in sacculo, observâsti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerâsti: Tacuisti, semper siluisti, patiens fuisti. Noli quæso, piissime Domine, scribere adversum me amaritudines meas, ut intres in judicium cum servo tuo, sed secundùm multitudinem miserationũ tuarum, dele iniquitatem meam. Væ mihi misero, cùm venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo & opera ejus: Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cùm cæli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra consurget! Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite, præ confusione, coram te stabo trepidus & confusus. Heu me miserum, quid dicam? Clamabo ad te Domine Deus meus, quare jacens consumor? Plange anima mea, sicut vidua super virum pubertatis suæ: ulula misera, & plora, quoniam dimisit te sponsus tuus! Miserere ne desperem, sed te spirando, respirem: & si ego commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde me salvare soles: Ne memineris dulcissime J E S U, tuæ justitiæ adversus peccatorem tuum, sed esto memor benignitatis tuæ adversus creaturam tuam; ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto miserationis tuæ adversus miserum; obliviscere superbum provocantem, & respice miserum invocantem: quid enim est J Esus, nisi Salvator?*

* Idem lib. medit. cap. 39.

Psalmo: 50.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Averte faciem tuam â peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ne projicias me â facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas â me.

A. M. D. G.



ERRATA.

Amice lector, fugientes locis quibusdam literas, & malè trajectas, aut neglectas interpunctiones tuo passim judicio prudente, et erudito corriges, et absenti authori ignosces.

In 1. *Parte Gaud. Orb. Univ.*

Pag. 40. Str. 19. v. 7. Census, lege Consus.
pag. 49. str. 34. v. 3. querceo, lege quercero
pag. 63 str. 5. v. 4. lini, lege Lini *nomen proprium*
pag. 70. str. 48. v. 4. suburra, lege Saburra.

In Parte 2. *Lacr. Orb. Univ.*

pag. 90, lineâ 4. differenriæ, lege diffidentiæ.
pag. 95. lineâ 2. parinæniâ, lege pari næniâ.
pag. 123. str. 75. v. 1. tempe, lege nempe.
pag. 212. str. 92. v. 5. verum, lege rerum.
pag. 228. str. 23. v. 7. exstiutt, lege exstruit.
pag. 237. str. 82. v. 4. testatur, lege testata.
pag. 270. str. 4. v. 2. Et, lege Est.
pag 343. str. 95. v. 4. iilatam, lege illatam.
pag. 344. str. 102. v 8. fui, lege rui.
pag. 389. str. 30 v. 7. vulnificia, lege vulnifica.
pag. 332. str. 16. v. 1. semltæ, lege semitæ.

Anweisung an den Buchbinder.

Das Marien-Bild wird im anfang nach dem Titul des ersten Theils gesetzet.
Der Propbet im anfang des dritten Theils pag. 5.
Die Stadt Jerusalem in gestalt einer gefangenen Königin In den fünfften Buch pag. 327.

